SACRORUM EVANGELIORUM VINDICIÆ

ADVERSUS INCREDULOS ADORNATÆ

A P. GAUDENTIO PATRIGNANI

ORDINIS MINORUM IN CONVENTU ARACOELITANO
SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMÆ 1791.

Apud Joannem Desiderj Typograph.
Superiorum Permissu.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI

D. D.

ROMUALDO BRASCHIO HONESTIO

S.R.E. DIACONO CARDINALI etc. etc. etc.

F. GAUDENTIUS PATRIGNANI
FELICITATEM.

Quod diu votis omnibus exoptaveram EMINENTISSIME PRINCEPS, tandem hae Sacrorum Evangeliorum Vindiciæ, TIBI Auspici, et literatorum hominum Mecænati me-

merito nuncupatæ, in lucem prodeunt. TIBI enim Seraphici Instituti Alumnorum in Catholicam Religionem labores dicandi, qui Minorum Patronus amplissimus existis, et Purpuratorum Collegii splendor eximius, et decus, tum rerum omnium magnificentia, tum, quod magis refert, pietate in Deum, studioque bonum, et incrementum Religionis promovendi non solum, sed etiam pro ea, si opus sit, propius decertandi. Nec id mirum, habes siquidem, EMINENTISSIME PRINCEPS, dies noctesque ante oculos propositum exemplar splendidissimum in Augusto Avunculo PIO VI. immortali, et vere MAGNO; qui Ecclesiæ Dei calamitosis hisce temporibus sæculi errore vexatæ tanta sapientia, constantia, et magnanimitate praeest, ut sive Sacrorum Administros eligat, sive collapsam Disciplinam restituat, sive impiorum conatibus, Regnorumque Orthodoxorum exitio opponatur, sive quaevis alia gravissima Religionis negotia expediat, ovium sibi divinitus concredi-

ta.

tarum bono, et incolumitati unice natus videatur. Jam vero non aliud me muneris hujus, quodcumque tandem illud sit, oblatione praestitisse sentio, quam ut id, quod non alienum, sed vere TUUM erat, TIBI sisterem. Non sinunt hic temporis angustiæ, multoque minus modestia TUA, qua in TE laudabilia quidem, non aliorum laudes exoptas (etsi nunquam tam magnifice quidquam dixerim, quod eisdem laudibus sit comparandum), ut in laudum TUARUM campum amplissimum, ac ubertissimam segetem excurram, utque referam Generis TUI, qua sanctitate, qua in Republica bene gerenda dexteritate, summique Principatus insignibus fulgentis, nobilissimam vetustatem annalibus, et historiarum certissimis monumentis consignatam, præclarasque dotes, quibus ita ornaris, ut non minus exterorum voce, quam Populi Romani TE intuentis, et admirantis communi plausu *spes Vrbis et deliciæ* appelleris; ipseque FERDINANDUS IV. utriusque Siciliæ

Rex,

Rex, et Augusta MARIA CAROLINA ejus Vxor, virtutis, ac meritorum judices æquissimi, Romam maxima Civium omnium Ordinum expectatione, et lætitia advenientes, TE inter Principes Optimates honorifice exceperint, Regia amicitia dignissimum duxerint, aliisque singularibus benevolentiæ signis cumularint. Quapropter quin meum consilium obsequii plenum probatura sit singularis humanitas TUA dubitare nec possum, nec debeo; cum sciam, summis Viris supra reliquorum mortalium sortem positis non tam munera, quam offerentium animum pensari.

LECTORI BENEVOLO.

Non est, cur hic longa te præfatione detineam; ea enim, de quibus te monitum volo, pauca sunt, eaque breviter expediam. Itaque quum specimen istud Historico-Critico-Theologicum Vindiciarum Sacrorum Evangeliorum explerem, atque publicæ disceptationis caussa, uti fit, Typis demandare curarem, clariſſimorum Amicorum, quorum nomina recensere prohibeor, hortationibus non semel sum compulsus, ut numerus exemplariorum, ultra eum, quem ad disceptationem propositam necessarium existimarem, Religionis bono, publicæque utilitati succresceret. Nihilominus animo hærebam omnino, nec iis morem ge-

re-

rere audebam , tribus potiſſimum ductus; tum styli contractione , tum methodo , quibus usus sum , tum denique Eruditorum reprehensione , quasi in tanta Europæ luce cum fulgentissimis scientiarum luminibus obscuri nominis adsidere ipse vellem magister .

Sed vicere tandem Amicorum hortamenta , qui acutioribus sæpe numero stimulis me maxime sollicitabant.Atque ut omnem mihi exuerent scrupulum , opus numeris omnibus absolutum affirmabant ,nihilque ei desse,quod ad scopum plane assequendum recta , aut per gradus quosdam non conduceret , quodque vel propositionibus firmandis, ac collustrandis , vel etiam explendæ animi curiositati utcumque idoneum videretur ; propositiones ipsas, addebant , ordine , ac nexu dispositas , ut facem sibi mutuo .præseferant , et una ex altera facile deducatur : ideoque ad Evangelia ab Incredulorum calumniis præsertim vindicanda , et præcipua Adversariorum objectionum capita dissolven-

venda quam maxime accommodatas. Ita factum est, ut non quod mihi, sed quod illis, quorum juſſis pertinacius reluctari nefas erat, expectabatur, præstarem invitus.

Hæc sunt, amice Lector, de quibus tantum te certiorem facere, cupiebam ut inde haberes et hujus operis evulgandi consilium, et adhibitæ in ea methodi rationem. Etenim quæ argumenti jucunditatem, gravitatem, neceſſitatem, ac illustrioribus præterea nominibus cæteris in universa re hiſtorica nulli certe secundi excellentiam spectant, quæque communi fere usu præfationis locum obtinere solent, singillatim exponere non est necesse, cum per se notiora sint, quam ut explicatione indigeant.

Reliquum est tantum, ut hunc laborem, quicumque tandem ille sit, libenti animo excipias, Lector; atque si eum laude utcumque dignum fortasse reputaveris, felicem me fore, scito; si quidpiam in eo

gra-

graviter erratum deprehendes, libere admone; sin levioribus naevis alicubi sparsum animadvertes, facilius ignosce. Vale.

INDEX

PRÆLOQUIUM pag. 1.

CAPUT I.

De Evangeliorum Exiſtentia et Nomine. 4.

CAPUT II.

De Evangeliorum Numero, et Conſonantia. 13

CAPUT III.

De Tempore, et Idiomate quibus conſcripta fuere Evangelia. 33.

CAPUT IV.

De Evangeliorum Auctoribus et Scopo. 56.

CAPUT V.

De *Evangeliorum Veritate.* 81.

CA-

CAPVT VI.

De Evangeliorum Integritate . 114

CAPVT VII.

De Evangeliorum Divina Inspiratione . 136.

CAPUT VIII.

De Variis Evangeliorum Verſionibus . 157

EPILOGUS. 17

AP-

Digitized by Google

APPROBATIONES

Vidi *Sacrorum Evangeliorum Vindicias* a R. P. Gaudentio a Coriano exaratas ,in quibus non solum nihil inveni , quod contra bonos mores sit, vel contra Fidem ,imò vero lucidum ordinem , et rationum firmitatem , prudentiamq. in scribendo notavi .

In quorum fidem etc. Ex Aracoeli 13.Iulii 1791.

F. Philippus a Genua Studiorum Præfectus .

Cum *Sacrorum Evangeliorum Vindiciæ* a P. Lectore Gaudentio de Coriano exaratæ de more visæ fuerint , et approbatæ a P. Præfecto Studiorum Philippo a Janua in hoc Aracoelitano Conventù, nihilq. in iis repertum sit contra fidem et bonos mores ; ideo et nos easdem approbamus concedentes praefato Lectori, ut eas Typis publice dare poſſit , servatis aliis , quæ de jure servenda sunt .

Datum Romæ ex Aracœli die 15. Julii 1791.

Loco ✠ sigilli

F. Carolus Josephus a Genua Præses Generalis .

Librum, cui titulus *Sacrorum Evangeliorum Vindiciæ*, juſſu Reverendiſſimi Patris Magistri S. P. A. perlegi, in eoque non ſolum nihil contra fidem, et bonos mores censura dignum inveni; verum et Auctoris præstantiſſimi eruditionem, ejusque perspicax judicium in seligendis monumentis tam ex SS. Patribus, quam ab Interpretibus ad confirmandam Sanctorum Chriſtianæ Religionis Codicum integritatem, et veritatem. Quare dignum censeo, ut typis evulgetur.

Romæ in Monaſterio S. Mariæ Novæ Idibus Quintilis 1791.

D. Michael Augusti Monacus Olivetanus, et in supradicto Monasterio *S. Theologiæ Profeſſor.*

Juſſu Reverendiſſimi P. Magistri S. P. A. ea, qua par eſt, attentione perlegi opus, cui titulus *Sacrorum* Evangeliorum *Vindiciæ*. Plurimam in eo eruditionem, ac diligentiam admiratus sum; nihil autem offendi, quod a recta, et sana doctrina sit alienum. Quapropter publica lucis usura frui poſſe censeo.

Romæ ex Monaſterio S. Gregorii ad Clivum Scauri, Pridie Kalendas Augusti 1791.

D. Michaelangelus Fumé S. T. Lector Camaldulensis, et Sacræ Indicis *Congregationis Consultor.*

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo P. Mag. S. P. A.

F. Xav. Passari Vicesgerens Archiep. Lariſſæ.

IMPRIMATUR.

F. Dom. Bacci O.P. Rmi P.M. S.P.A. Soc.

Inter omnes Divinas auctoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium merito antecellit; quod enim Lex, & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum, atque completum in Evangelio demonstratur.
S. Augustinus de Consensu Evangelist. lib. 1. cap. 1.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

SACRORUM EVANGELIORUM VINDICIÆ.

PRÆLOQUIUM.

QUam miseranda, ac lacrymabilis epoca ab hoc Sœculo nequam in Religionis facto futuris temporibus aperiatur, neminem profecto latere posse, arbitramur. Eo nunc enim ventum est, ut non amplius unum, aut alterum Christianæ Fidei articulum evertere, sed vel ipsum, si fieri posset, Christianum Nomen tollere, penitusque abolere infinita impiorum turba quasi conjurata contendat. Siquidem eorum „ *volant libri, Urbibus, & Castellis ingeruntur: Pro luce tenebrae, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur;*

 Tran-

Transeunt de gente in gentem , & de Regno ad populum alterum : Novum cuditur populis Evangelium , fundamentum aliud ponitur , praeter id , quod positum est ,, (1) Nihil propterea magis in deliciis habent, quam Christianæ doctrinæ evolutionem , et varia diversis temporibus incrementa irridere , omnia , quibus fundatur Christi Religio , facta in dubium vertere , Sacrorumque tandem Librorum , Evangeliorum præcipue suspectam habere authenticitatem . Hinc ut de Sacris aliis sileam Libris , Evangelia eadem ceu apocrypha et recentiora nimis , vel corrupta et mendosa , vel mendaciis undique plena , nec Divino afflante spiritu ullatenus conscripta rejiciunt, irrident , contemnunt . Ad hos itaque refellendos Christiani Nominis hostes quum nos Religionis damna moveant , veritatis amor vocet , Dei timor compellat , ideo studiorum nostrorum specimen aliquod daturi , Sacrorum Evangeliorum publicas adgredi vindicias decrevimus . Illud interim unum exoptamus cum Huetio , nimirum , ab Adversariis ,, *adhiberi hic animum docilem, & veritatis studiosum , non refractarium , & pertinacem* ,, atque ,, *tam certo ea credi , quæ*

(1) *S. Bernardus Epiſt.* 189. *ad Innocent. Pp.*

quæ hic probabuntur , *quam creduntur reliqua* , *quæ paris roboris rationibus nituntur* ,, (1) ; si namque id unum obtinuerimus, propositam rem abbunde satis confecturos nos fore speramus. Religionis autem hostes dum refutare curabimus, de cæteris quoque sermonem instituemus, quæ eadem Evangelia spectant, ut pleniorem de iis, quo fieri potest, pertractationem exhibeamus. Quapropter, ut et aliqua procedamus methodo, in octo distinta capita rem hanc dividentes, breviter de existentia et nomine, de numero et consonantia, de tempore et idiomate, de auctoribus et scopo, de veritate, integritate, Divina inspiratione, variisque demum Sacrorum Evangeliorum versionibus dicemus.

(1) *Daniel Huet. Dem. Evang. Poſtul.* 1. &c.

CAPUT I.

De Evangeliorum Exiſtentia, & Nomine.

I. *In Judaea vixit olim, ſcilicet Octaviani Auguſti, & Tiberii Cæſaris temporibus, Jeſus Nazarenus, qui & Chriſtus.*

Sive etenim Jeſu Chriſti exiſtentiam, ſive tempus, ad quod eam referimus, ſive Patriam, ſive tandem nomenclationem ſpectes, priorem hanc propoſitionem nemo tot retro sæculis negavit unquam, neminemque tam obductæ frontis unquam futurum, qui inficiari audeat, arbitramur. Ea namque triplici ineluctabili argumento firmatur: conſtanti nimirum traditione Chriſtianorum nedum, ſed et Hebræorum, Mahumedanorum, aliorumque: publicis item, quæ adhuc in Palæſtinæ regionibus conſpiciuntur, monumentis: ac tandem auctoritate plurium Ethnicorum, Svetonii (1) præcipue, Porphyrii (2), Phlegontis (3), aliorumque; tum etiam Joſephi rem

(1) *In Claudio Cap.* 25. (2) *De Philoſoph. lib.* 3. *apud Euſebium De-monſt. Evang. lib.* 2. *cap.* 8. (3) *Chron. lib.* 13.

rem eadem ter comprobantis, cujus testimoniorum alterum recitat Origenes (1), singula Eusebius (2), et Hieronymus (3), quorum tamen nunc duo tantum apud Josephum (4) reperire licet. De his videatur Daniel Huetius (5).

II. *Chriſtus porro Jesus prædicatione, exemplo, prodigiis, doctrinam suam publicam fecit, firmavit, roboravit.*

Christi namque prædicatio plane mirabilis tum facto ipso probatur, tum confessione Judæorum, apud quos Magistri nomen obtinuit (6). Ejus autem sanctitatis fama undequaque diffusa, non obstantibus Hebræorum conatibus, vel apud ipsos Ethnicos invaluit (7). Edita denique ab ipso prodigia confessi sunt Judæi Proceres (8), nec teterrimi Christi adversarii penitus inficiati sunt Celsus (9), et Julia-

(1) *Contra Celsum lib.* 1. & 2.

(2) *Hiſt. Eccl. lib.* 1. *cap.* 11. & *lib.* 2. *cap.* 23.

(3) *De Scriptor. Eccles. in Josepho.*, & *Jacobo.*

(4) *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 4. & *lib.* 20. *cap.* 8.

(5) *Demonſt. Evang. Prop.* 3. *num.* 10. & *seq.*

(6) *Origenes lib. cont. Cels.* & *Eusebius Dem. Evang. lib.* 7. *cap.* 2. (7) *Tertullianus Apolog. cap.* 5. & *Eusebius Hiſt. Eccl.* (8) *Thalmud part.* 4. *lib.* 6. *Abod Elilim cap.* 1. (9) *Apud Origenem lib.* 2. *cont. Celsum.*

lianus (1). De his singulis ajebat coævus scriptor Josephus „ *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir sapiens; si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem, ex Judaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit*(2).

III. *Nihil tamen hujus Doctrinæ suæ literis consignavit Jesus.*

Bis Christum scripsisse legimus. Scripsit primo digito suo in terra, quando mulier de adulterio accusata coram eo adducta est (3). Tamen quum diu non perseverasset, quod scripserat, ideo perinde fuit ac si nusquam scriptum. Secundo scripsisse epistolam quandam ad Abgarum Edessenorum Regem ferunt aliqui, ut Eusebius Cæsariensis (4). Verum Gelasius Papa eam apocrypham dijudicat (5); et quamvis genuinam daremus, tam brevis est, ut non obstet, quominus dicamus, Christum nihil doctrinæ suæ litteris consignasse. Id enim conveniens maxime fuerat et dignitati, qua fungebatur, et fidei, quæ eius præstanda erat dictis; interim autem aberat ne-

(1) *Apud Cyrillum lib. 6. cont. Julian.*
(2) *Antiquit. lib. 18. cap. 4.* (3) *Joannes cap. 8.*
(4) *Hist. Eccl. lib. 1.* (5) *In Concilio sept. Ep. Rom. celeb.*

necessitas, quæ ad scribendum impelleret:

IV. *Imo Apostolis, atque Discipulis, ut Vitam, Doctrinamque suam consciberent, Chriſtum minime præcepisse, dicimus.*

Traditionis osores hoc negant, quorum de grege Picininus, postquam retulisset verba P. Panigarolæ asserentis (1), Christum nunquam præcepisse Apostolis suam Doctrinam litteris consignari, sed tantum viva voce doceri, subdit illico (2) „ *falsissimum* „. Verum unde habet ille; Christum quid tale jussisse? Ubi prostat hocce mandatum. Qnia Deus voluit, legem Mosis scripto contineri, in Scripturis legimus Mosi jussum (3) „ *scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israel pepigi fœdus* „. Apostolis vero quidnam Christus mandavit? Hoc unum quoad suæ Doctrinæ propagationem, quam intendebat: nimirum „ *euntes docete omnes gentes* „ (4). Nunquid viva tantum voce Populos docere non poterant? Certum est, illos Præceptoris exemplum secutos, ejusque præceptum exequentes, alte menti impressarum, quas ejus loquentis ore audierant, veritatum oblivisci non verentes, docen-

(1) *In Lectionibus Calviniſt.* (2) *Apologia pro Reformat. pag.* 227. (3) *Exodi cap.* 34. *v.* 27. (4) *Matthæi cap.* 28. *v.* 19.

dos, instituendosque Populos statim viva voce suscepisse quidem, non tamen scriptioni operam statim dedisse, ut testes satis graves, et idonei sunt Irenaeus (1), Eusebius (2), Chrysostomus (3), Hieronymus (4), breviter, ne omnes singillatim enumerem, universi fere Ecclesiastici Auctores. At incredibile penitus est, Apostolos, Discipulosque, qui Christi mandatorum accuratissimi observatores vel ab ipsis Christiani Nominis hostibus Josepho (5), Celso (6), Porphyrio (7), perhibentur, hoc de conscribenda Magistri Doctrina per diuturnum tempus negligere voluisse.

V. *Revera hæc eadem Christi Doctrina per verbalem traditionem longe lateque diffundi, atque ad nos usque propagari potuit.*

Quemadmodum siquidem per aliquot annos Christi Doctrina in plurimis, ac diversis regionibus longe ab invicem distantibus, quas sibi diviserant Apostoli (8), horum prædicatione tunc primo dif-

(1) Lib. 3. *adv. Valentinum*. (2) *Histor. Eccl. lib.* 3. *cap.* 24. *& alibi*. (3) *Homilia* 1. *in Matth.*
(4) *In Catalog. Scriptor. Eccl.* (5) *Antiquit. lib.* 18. *cap.* 4. (6) *Apud Origenem lib.* 2. *cont. Cels.*
(7) *Apud Eusebium Hiſt. Eccl. lib.* 1.
(8) *Actor. cap.* 10.

diffusa est; et propagata absque omni scripto, adeo ut Irenæus referre potuerit (1) „ *plures barbaras gentes sola traditione suscepisse fidem Chriſti sine charta, & atramento, scriptum habentes Chriſtum in cordibus suis* „: ita similiter diffundi, et continuo propagari, præsertim adsistente Spiritus Sancti gratia, oretenus, et absque scripto deinceps potuisse, Traditionem refugientes Hæretici fateantur est opus. Hinc idem Irenæus (2) *Etiamsi*, inquit, *Apoſtoli scribere prætermisissent, hæc una* (Traditio) *satis erat ad Fidei firmitatem* „.

VI. *Nihilominus Divina Providentia factum est, ut Christi Doctrina, & geſta conscriberentur variis libris, qui sub Evangeliorum nomine prodiere.*

Evangelia ubique circumferuntur, suntque omnibus notissima. Christi autem Doctrinam, et gesta continere, id est, quod præcipue demonstrare conabimur. Modo hoc unum advertendum volumus; scilicet, Evangelia eadem Divinæ Providentiæ dispositione dubio procul fuisse exarata; etenim „ *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad*

(1) *Lib. 3. cap. 4.* (2) *Ibidem.*

ad corripiendum , ad erudiendum in juſtitia „ (1) .

VII. *Non omnia tamen , & quæ docuit , & quæ fecit Jesus , in Evangeliis scripta fuere .*

Verbum Dei traditum odio prosequentes Hæretici id perfracte inficiantur , quos inter Calvinus sic fatur (2) „ *Poſtquam Deus voluit , verbum suum scriptum eſse , nihil eſt docendum , praeter id , quod scriptum eſt* „ ; Quibus in verbis nihil aliud fecisse, vel docuisse Jesum, præter id, quod scriptum est , aperte supponit . Verum ipse cum cæteris ejusdem furfuris audiat Joannem scribentem (3) „ *Sunt autem & alia multa , quæ fecit Jesus , quæ si ſcribantur per ſingula , nec ipſum arbitror mundum capere poſse eos, qui scribendi ſunt. libros* „ ;et paullo ante jam scripserat (4) „ *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum ſuorum , quæ non sunt scripta in libro hoc* „ . Unde super hæc eadem verba Chrysostomus ait (5) „ *Multa vero alia signa fecit Jesus . Cum enim pauciora , quam alii , hic Evangeliſta, narraſset , dicit , neque alios omnes omnia recensuisse, sed quanta opus essent*

(1) *Paullus Apoſt. 2. ad Timoth. cap. 3. v.16.*
(2) *Inſtitut. lib. 4. cap. 8. § 6.*
(3) *Cap.* 21. *v.* 25. (4) *Cap.* 20. *v.* 30.
(5) *Homilia 87. alias 86. in Ioan.*

eſſent, ut auditores ad fidem pertraherent „.
Hinc patet etiam nimia eorum temeritas, qui, inter Theologos dum se ſapientiores venditant, in Eccleſia Dei cathedram erigunt, docentque, pias de Chriſto traditiones, vel magis receptas, fabellis accenſendas eſſe. Horum perſonam gerens Joſeph Maria Pujati ſcribit (1) „ *Io, Monſignore, ho fatto da qualche anno queſto libricciuolo per ſoddisfare alla pietà d' illuminata persona, che ſi offendeva a buon diritto di ciò, che appunto in ſomiglianti libricciuoli si vuole aver l' ardire di aggiugnere alla verità del Vangelo* „; tum etiam (2) „ *Io non ardirò mai aggiugnere, o Gesù, al vostro Santo Vangelo, e dire quel ch' ei non dice* „ Ubi Is vel imprudentem ſeſe exhibet, utpote qui ad præfatas pias traditiones eliminandas eadem pene phraſi utitur, qua uſus eſt Calvinus ad Divinas abnegandas traditiones, quas ille cæteroquin admittit.

VIII. *Porro Evangelii vocabulum ab ipſomet Chriſto, & Apoſtolis, narrationibus illius Doctrinam & geſta continentibus, fuit attributum.*

Nul-

(1) *Eſercizio della Via Cruc. Epiſt. ad* D. D. *Ricci Epiſc. Piſt. & Prat.* (2) *Ibidem Staz.* 7.

Nulla de hac re controversia oriri posse videtur. Christus namque de propria Doctrina, propriisque gestis ait (1) „ *& prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe* „; tum (2) „ *In omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium*,, tum etiam (3) „ *euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*,, ; atque hæc eadem appellatio in Apostolorum, præsertim vero Paulli (4), scriptis passim invenitur.

IX. *Idemque Evangelii nomen ad hiſtoriam, in qua Servatoris Chriſti adventus, Doctrina, & geſta narrantur, deſignandam rectissime usurpatum eſt.*

Quandoquidem *Evangelium* vox est ex græco derivata, quæ latine *bonum nuntium* significat. „ *Nec abs re*, inquit Chrysostomus (5); *siquidem veniam peccatorum, sanctificationem atque justitiam, redemptionem, adoptionem filiorum, & cæterarum hæreditatem omnibus nuntiavit. Nunquid potest esse aliquid æquale iis tam bonis nuntiis? Propterea Evangelium iſta vocatur historia, id eſt, nuntium bonum*,, ; Quod quidem in id potissimum collimat, ut annuntiet „ *magnum pietatis Sacramentum*,

(1) *Matthæi Cap*. 24. v. 41. (2) *Marci cap*. 13. v. 10. (3) *Ejusdem Cap*. 17. v. 15.

(4) *Epiſt. ad Rom*. *cap*. 12. *adCorint*. 2. *cap*. 8. *ad Timot*. 2. *cap*. 2. *& alibi*. (5) *Homilia* 1. *in Mat*.

rum, *quod manifeſtatum eſt in carne*, *juſtificatum eſt in spiritu*, *apparuit Angelis*, *prædicatum eſt in Gentibus*, *creditum eſt in Mundo*, *assumptum eſt in gloria*,, quemadmodum ait Apostolus (1).

CAPUT II.

De Evangeliorum Numero, & *Consonantia*.

I. *Plura fuerunt vel ab ipso Eccleſiæ initio sub diversis nominibus evulgata Evangelia*. In dubium id vertere nemo potest. Evangeliorum namque plura ab Hæreticis, a Catholicis quoque plura edita commemorant Patres, Ecclesiasticique Scriptores. Præter quatuor communia *Matthæi* scilicet, *Marci*, *Lucæ*, et *Joannis*, ejusmodi sunt, quæ inscribuntur *de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis* (2), quod extat latine, *de Infantia Jesu Christi* (3), quod et arabice; tum illa *ſecundum Aegyptios*, *Thomam*, *Mathiam*, *duodecim Apostolorum*, *Baſilidis*, *Apellis* (4); tum etiam quæ nuncu-

(1) *Timoth.* 1. *cap.* 2.

(2) *Epiphanius hæres*. 26. & *Auguſtinus cont. Fauſt. lib.* 23. *cap.* 9. (3) *Idem hæres*. [illegible].

(4) *Hieronymus proem. in Matth.* & *alibi*.

cupantur *Evæ, Perfectionis* (1), *Petri*, *Andreæ*(2) *Judę Thaddæi* (3), *Judæ Iſcariotæ*, (4) aliaque longe plura, quorum catalogum exhibent Calmet (5), Ioannes Fabricius(6), et Claudius Frassen (7).

II. *Exceptis tamen quatuor, quæ nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis inſcribuntur, cætera omnia ſuppoſititia ſunt, vel apocrypha.*

Mendacii etenim pater, qui plures Pseudo-Christos, et Pseudo-Prophetas falsis præstigiis fallentes produxerat, ut veris Iesu Christi prodigiis quatuor illis Evangeliis descriptis fides minueretur, eadem arte fraudatores tum Hæreticos, tum Catholicos etiam supposuit, qui mox recensita procuderent Evangelia; illi ut in veras genuinasque Scripturas invidiam parerent, et Christianæ Religionis dogmata concuterent; isti ut pia hac fraude Judæos, et Ethnicos incredulos ad fidem pertraherent (8). Ea idcirco, utcumque sub

---

(1) *Epiphanius hęres.* 26.
(2) *Eusebius* Hiſt. *lib.* 3. *cap.* 25.
(3) *Gelasius in Jure Canon. diſt.* 15. *in can.* 3.
(4) *Epiphanius hæres.* 28.
(5) *Dissert. de Evang. apocryph.*
(6) *Codic. Apocryph. Nov. Teſtam.*
(7) *Disquisit.* Biblic. *edit. Lucen. tom.* 1. *ad calcem.*
(8) *Calmet Diſsert. de Evan. Apocry.*

sub amplissimis nominibus edita, tamquam apocrypha, et supposititia constanter ab Ecclesia rejecta fuere (1); „*Nos, Fratres*, inquiebat Ecclesiæ Sæculo II. Serapion Antiochenus (2), *et Petrum, et reliquos Apoſtolos perinde ac Chriſtum ipsum suscipimus, ſed quæ nomen illorum falso inſcriptum referunt, ea nos utpote gnari, & periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus ea nos a Majoribus minime accepiſse* „. Hieronymus vero (3), facta eorundem Evangeliorum enumeratione, concludit „ *extitiſse quosdam, qui sine ſpiritu & gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriæ texere veritatem. Quibus jure poteſt illud propheticum coaptari: væ qui prophetant de corde ſuo, qui ambulant poſt spiritum suum, qui dicunt: dicit Dominus: & Dominus non miſit eos: de quibus & Salvator in Evangelio Joannis loquitur: omnes, qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt* „.

III. *Paſſim namque, ac ſumma confidentia veteres Eccleſiæ Patres iſthæc Evangelia laudaſſe, & multo magis ceu autographa, & authentica, calumnia eſt apertiſſima.*

Hujus calumniæ auctor est Dodvvellus, qui

(1) *Eusebius Hiſtor. Eccl. lib. 3. cap. 23.*

(2) *Apud Eundem Euseb. Hiſt. lib. 6. caq. 12.*

(3) *Proemio in Matth.*

qui „ *habemus* , inquit (1) , *hodieque horum temporum Scriptores Eccleſiaſticos loculentiſſimos . . . Apocrypha adhibent iidem aliquoties*„ ; cui adhærens Freretius ait (2)„ *ipſi enim* (Patres) *frequenter* , & *omni cum fiducia libros apocryphos citant* , *quaſi auctoritatis vim habentes* „. Quam longe tamen uterque a veritate aberret, vel ipsemet Freretius manifestat, qui (3) nonnisi tria dumtaxat, aut quatuor indicare novit loca,seu testimonia,partim ex duabus S.Clementis Romani epistolis, partim ex epistola S.Ignatii ad Smyrnenses , quorum duo tantum cum apocryphis convenire Evangeliis , verificari aliquatenus potest . At nunquid propterea ex iisdem fuere deprompta? Ita sane, reponitDodvvellus(4);ea etenim,„*certum est in hodiernis non haberi Evangeliis* „ ; quasi quod perTraditionem accipi non potuerint. Libros eosdem citarunt quidem Patres aliqui posteriorum temporum , ut Clemens Alexandrinus, Origenes, Epiphanius, Lactantius ; imo Hieronymus ab hebræo in græcum Evangelium *secundum Hebræos* ver-

(1) *Diſſert. in Irenæ . num.* 39.

(2) *In examine crit. Nov. Teſtam. inter ejus opera tom.* 3. *pag.* 23.

(3) *Ibidem* . (4) *Loco superius citato* .

vertendum insuper dixit. Nihilominus non idcirco ut authenticos et genuinos ejuscemodi libros agnovere. Hinc Origenes (1) „ *Scriptum est*, inquit, *in Evangelio quodam, quod dicitur secundum Hebraeos, si tamen placet alicui suscipere illud, non ad auctoritatem, sed ad manifestationem propositae quaestionis* „; et S. Hieronymus, quum idem Evangelium citasset, subdit (2): *quibus testimoniis si non uteris ad auctoritatem, utere saltem ad antiquitatem* „.

IV. *Porro licet Evangelia quatuor sint, attenta Scriptorum diversitate, unum tamen est rerum historia spectata.*

Et re sane vera „ *quotiescumque*, inquit S. Remigius (3) *plurali numero dicimus Evangelia, nec doctrinam dividimus, sed libros distinguimus; nam hic Scriptores sunt quatuor, res tamen scripta est una, continens unam historiam, unam doctrinam, unum dogma Fidei* „. Qua propter „ *dilucidum est*, addit apposite S. Joannes Chysostomus (4), *quatuor Evangelia unum esse Evangelium. Quum enim quatuor eadem loquantur, non est aliud, atque aliud ob personarum differentiam, sed unum ob eorum, qui loquuntur consonantiam;*

B nam

(1) *Tractatu 8. in Matth.* (2) *Lib. 3. cont. Pelag.*
(3) *In Matth.* (4) *In cap. 1. epist. ad Galat.*

nam etsi decies mille sint Evangelistæ, qui scribunt Evangelia, modo scribant eadem, multa illa unicum sunt Evangelium. Neque quidquam obstat scribentium multitudo, quo minus unum sit Evangelium, quemadmodum ex adverso si quis unum scribens commemorat contraria, non essent unum Evangelium, quae scribuntur; ut enim unum sit Evangelium, aut non unum, non aestimatur numero scribentium, sed hinc eadem ne sint, aut diversa, quae scribuntur ",.

V. *Siquidem quae in Evangeliis occurrit discrepantia, ordinis quidem, circumstantiarum, ipsarumque narrationum diversitatem, nusquam vero contradictionem importat.*

Eam nimirum in Evangeliis uniformitatem vindicamus, quæ omnem penitus inter Evangelistas in rebus, factisve, ac doctrina, quæ ab iis refertur, tanquam e Christi ore producta, contradictionem excludat; adeout nec gestum Christi, nec dictum unus, contradicente alio, affirmet: totamque eorum discrepantiam in eo dumtaxat sitam esse adserimus, ut quædam E.G. Matthæus commemoret, quæ tum a Marco, tum a Joanne, et Luca prætermissa fuere; vel rei cujuspiam narrationem pluribus unus quam alter circumstantiis exornet, seu factum aliquod, habita temporis, loci, et personarum ratione, uberius præ alio, di-

stin-

stinctiusve exponat, aliusque alium verborum ordinem sequatur, aut similia. Huiuscemodi namque dissimilis scribendi ratio nequicquam veritati nocere valet „ *si aliqui*, inquit Chrysostomus (1), *de temporibus, ac locis, et numeris dixerunt varie, nihil dictorum praejudicat veritati* „; ea etenim varietas diversitatem tantummodo in Evangeliis, non contradictionem ostendit „ *quod enim*, ait S. Augustinus (2), *alius alium verborum ordinem tenet non eſt utique contrarium. Neque illud contrarium eſt, si alius dicit, quod alius praetermittit* „.

VI. *Sane nulla eſt imprimis contradictio inter Matthaeum, & Lucam in ab iis descripta Chriſti Genealogia.*

Matthaeum, et Lucam sibi mutuo contradicere in explicanda Christi Genealogia affirmant Haereticorum plerique, tum quia Matthaeus (3) a Davide usque ad Christum 28. tantum generationes recenset; a Salathiele autem usque ad Joseph 12.; Lucas vero (4) a Davide usque ad Christum generationes 42. numerat, atque

(1) *Homil.* 1. *in caput* 1. *Matth.* (2) *Manichaei, et praecipue Fauſtus apud S. August. lib.* 3. *cont. eund. cap.* 1. (3) *Cap.* 1. *v.* 6. *et seqq.* (4) *Cap.* 3. *v.* 23. *& seqq.*

21. a Salathiele usque ad Josephum etiam quia ille (1) Josephi patrem Jacobum, iste e contrario Heli faciat (2). Verum quod generationum numerum spectat advertendum est, non eamdem viam in describenda Christi Genealogia iniisse utrumque Evangelistam; quum ille per Salomonem, Lucas per Nathan percurrat. Hinc numero minores Matthaeum generationes a Davide ad Christum usque recensere, quam recenseat Lucas, mirum non est, quoniam plures ex una prosapia æquali tempore prodire generationes possunt, quam ex aliis. Ex altera parte a Matthæo quædam prætermissæ consulto sunt generationes, nimirum Ochozias, Joas, et Amasias, quia ex maledicto Achab (3) descendentes, et similiter Joachim paris oeconomiæ caussa; etenim satis habuerat ad Christi genus ex Davide comprobandum, præcipuos, illustrioresque Davidicæ Familiæ viros sibi invicem saltem mediate succedentes commemorare. Quoad alterum autem plerique Patres, et præsertim Julius Africanus (4), arbitrantur Jacob fuisse uterinum fratrem Heli, hujusque

(1) *Cap.* 1. *v.* 16. (2) *Cap* 3. *v.* 23.
(3) *Regum lib.* 3. *cap.* 21. (4) *Apud Eusebium histor. eccles. lib.* 1. *cap.* 7.

que præmortui suscitasse semen, prout scriptum erat in Lege (1); ac proinde Joseph fuisse ratione naturæ Jacob, ratione Legis Heli filium. Rectius tamen cum recentioribus Criticis putamus, Lucam designare ibi voluisse non Josephi, sed genus Virginis Mariæ, ita ut Heli sit ipse Joachim Mariæ pater, ejusdemque socer Josephi; nam Heli, Eliacim, Joachim idem quandoque in Scripturis significant, et ideo a Judæis Maria Heli filia dicitur (2). Quare non ob aliud de Joseph scribit Lucas (3) „ *qui fuit Heli* „ nisi quia conjugali affinitate ad eum pertinebat; sicuti simili de causa scribit (4) de Salathiele „ *qui fuit Neri* „ ad quem ille non spectabat, nisi ratione Legis (5).

VII. *Contradictio rurſus nulla eſt inter eoſdem Matthaeum et Lucam in iis, quæ de Chriſti narrant infantia.*

In narrationibus Matthaei et Lucae de iis, quae Christi infantiam spectant, veram contradictionem inveniri ostendere nituntur (6) ex eo quod ille fugam Iesu in Aegy-

 ptum

(1) *Deuteron. 25. v. 5.* (2) *In Thalmud.*
(3) *Loc. cit.* (4) *Cit. cap. 3. v. 27.* (5) *Vide S. Augustinum lib. 3. cont. Fauſt.* (6) *Du Marsais Analis. della Relig. cristia. Boligbroke esam. Import. et alii.*

ptum contigisse enarret statim post Magorum adorationem, indeque regressum non fuisse scribat, nisi post obitumHerodis (1); eoque tempore quum audissent parentes Jesu regnare Archelaum pro Herode, timuisse in Judæam ire, hincque Gallilæam ab Angelo admonitos seccessisse, atque domicilium deinceps in Civitate Nazaret tenuisse (2): Lucas vero ab opposito post Magorum discessum permansisse Iesum, ac Parentes ejus in Judæa affirmet, donec impleretur tempus purgationis Mariæ, idest per dies ab ejus partu quadragenos, tumque Ierusalem perrexisse ut purgationis legem (3) eadem Jesu Mater adimpleret, ac postmodum in Gallilæam in civitatem Nazaret fuisse reversos (4). Nihilomiuus re serio perpensa non est inter Matthæum, et Lucam invenire contradictionem hac in re, sed solum discrepantiam in eo sitam, quod unus enarret, quod alter praetermisit; enarret scilicet ille fugam Iesu in Aegyptum, ejusque reditum in terram Israel, nulla facta mentione purgationis Mariæ in Templo, quam refert Lucas omisso Aegypti itinere. Et si ve-

(1) *Cap. 2. v. 12 et seqq.* (2) *Ibidem v. 19. et seqq.* (3) *Levitici cap. 12. v. 2.* (4) *Cap. 2. v. 21. et 39.*

vero Matthaeus, postquam a Betlehem abiisse Magos dixerit, pergat statim narrando, subductum Iesum jussu Angeli a Palaestina; inter praedictum tamen Magorum recessum, et Angeli monitum, fugamque Jesu, satis apte tum Jerosolymae iter, tum Mariæ purgatio in Templo statui potest. Primo enim antequam Herodes se a Magis deceptum cognosceret, infantiumque caedem indiceret, tempus ad id sufficiens effluxisse intelligitur. Secundo Angelum sese Josepho videndum obtulisse Betlehemi minime affirmat, ut ne id contigisse dicamus Jerosolymae. Demum familiare est Evangelistis diversas conjungere narrationes, quin tempus conjungere velint. Hujus rei exemplum habemus apud Matthaeum, qui quum retulisset, Jesum ex Aegypto revocatum, & Nazaret delatum, „*ut adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetas; quoniam Nazaraeus vocabitur*„(1), subjungit illico(2) „ *In diebus autem illis venit Joannes Baptiſta prędicans&c.*„; quum tamen id non contigerit, nisi anno Tiberii 15. (3), atque ideo ætatis Christi circiter 31. Idipsnm dicatur in casu nostro tum quoad Matthaeum ipsum fugam

Je-

(1) *Cap. 2. v. ulti.* (2) *Cap. 3. v. 1.*
(3) *Lucæ Cap. 3. v. 1.*

Jesu in Aegyptum, nulla facta purgationis Mariæ in Templo mentione, referentem; tum quoad Lucam quoque, qui ommissa in Aegyptum fuga, statim ac commemorasset expletam a Maria purgationis legem, seccessionem Parentum Jesu in Gallilæam refert, licet diu postea id evenerit.

VIII. *Pariter in iis enarrandis, quæ spectant tempus praedicationis Christi, inter Matthaeum, & Lucam, & Marcum nihil est contradictionis.*

Quatuor hic proponunt (1) loca, in quibus praedictos Evangelistas sibi invicem contradicentes asserunt. Exhibent imprimis historiam Centurionis, quem accessisse ad Jesum, ut ab eo incolumitatem suo puero impetraret, narrat Matthæus (2), dum interim Lucas, Centurionem Christo obviam venisse, negat (3). Observant deinde Matthæum (4) referre, duos habentes Dæmonia occurrisse Jesu in regione Gerasenorum; Marcum vero (5), et Lucam (6), nonnisi unum commemorare; tum etiam filiam

(1) *Bolingbroeke Esam. Import- Auctor Serm. de cinquanta, & Auctor Cathechis. del Galantuomo.*
(2) *Cap. 8. v. 5. & seqq.* (3) *Cap 7. v. 3. & 6.*
(4) *Cap. 8. v. 28.* (5) *Cap. 5. v. 1. & 2.*
(6) *Cap. 8. v. 26. et 27.*

filiam Jairi jam mortuam a Matthæo (1), nonndum mortuam a Marco (2), et Luca (3) dici: denique praeceptum Christi mittentis Apostolos suos ad praedicandum, prout legitur apud Matthæum (4), oppositum illi esse, quod Marcus (5) refert. Revera tamen nullæ sunt hujusmodi contradictiones. Prima quidem; quum enim et communi usu probatum sit, et Scripturarum consuetudine confirmatum (6), ut quis egisse, aut dixisse asseratur, quæ per alium fecit, aut dixit, non video, cur Matthæus rem summatim enarrans, ommissa seniorum, amicorumque legatione, ea omnia velut a Centurione ipso cum Christo loquente prolata referre non potuerit, quæ illi ab eo ad Christum missi ejus nomine dixerunt; eo vel magis quod Lucas ipse, licet missos ad Jesum a Centurione Seniores, et Amicos narret, rem tamen ita describit, ac si Centurio ipsemet Christum alloqueretur, *misit ad eum*, inquit, *Centurio Amicos dicens: Domine, noli vexari, non enim sum dignus, ut sub tectum*

(1) *Cap.* 9. *v.* 18. *et seq.* (2) *Cap.* 5. *v.* 23.
(3) *Cap.* 8. *v.* 42. *et seq.* (4) *Cap.* 10. *v.* 20.
(5) *Cap.* 6. *v.* 8. *et* 9. (6) *Vide Calmet Comment. in hunc Matth. loc.*

ctum meum intres &c.,, (1). Nulla pariter est secunda prætensa contradictio; eatenus enim Marcus, et Lucas citatis in locis unum tantum dæmoniacum commemorant, quia quum non omnia Christi in terra Gerasenorum gesta describendi animum haberent, sed tantum nonnulla referendi, in quibus Christi divina virtus magis elucesceret; idcirco, ommissa alterius Dæmoniaci mentione, de eo uno intensius a Dœmone vexato, quin sese Matthaeo duplicem Dæmoniacnm commemoranti opponant, sermonem habent. Quod autem ad productam tertiam contradictionem attinet, ex Marco, et Lucæ facile colligitur, Principem Sinagogæ Iairum bis pro filiæ incolumitate distinctis temporibus Christum exorasse: primo cum illa esset, licet in extremis, adhuc tamen inter vivos (2); secundo vero, quum jam obiisse rescivit (3). Ergo Matthæus Marco, et Lucæ non contradicit, sed solum, contractiori utens dicendi modo, utramque Principis supplicationem ab illis distinctius relatam, simul conjungit (4). De-

(1) *Cap. 7. v. 6. Vide S. Auguſtinum lib. 2. de Conſens. Evang. Cap.* 10. (2) *Marci* 5. *v.* 23. *Lucæ* 8. *v.* 41. (3) *Marci* 5. *v.* 35. *Lucæ* 8. *v.* 49. (4) *Vide S. Auguſtinum lib. 2. de Conſens. Evang. Cap.* 28.

Demum quoad præceptum Christi sî simul conferantur Matthæus, et Lucas, apparebit, Christum ibi voluisse, ne comeatu ullo se ad iter committerent Apostoli, nec solliciti de re aliqua ad vitæ usum imposterum forent; atque hoc unum inter utrumque haberi discrimen, nempe Marcum distinguere, quæ absolute vetita non erant, a vetitis; non item Matthæum (1).

IX. *Tum etiam ab omni contradictione sunt immunes Matthaeus, & Marcus, & Lucas, & Ioannes in narrationibus ad Christi passionem spectantibus.*

In Evangelicis Passionis Christi narrationibus tres Anti-Christianorum plerique (2) enumerant contradictiones. Prima est ubi exhibetur trina Christi a Petro peracta negatio, hujusque Christi ipsius vaticinium; namque Matthæus (3), Lucas (4), et Ioannes (5) consentiunt, non cantasse gallum, nisi post tertiam Petri negationem, prout vaticinatum a Christo fuerat (6); Marcus autem et in vaticinio (7), et in facto

cto

(1) *S. Auguſtinus ibidem Cap.* 29. (2) *Du Marſais Anal.*Relig. *Chriſt. & alii.* (3) *Cap.* 26. *v.* 70. 72. 74. (4) *Cap.* 22. *v.* 57. 58. 60. (5) *Cap.* 18. *v.* 17. 25. 27. (6) *Vide Matth. cap.* 26. *v.* 34. *Luc Cap.* 22. *v.* 34. *Joan. Cap.* 13. *v. ult.* (7) *Cap.* 14. *v.* 30.

cto (1) nedum post tertiam, sed et post primam negationem galli cantum ponit. Secunda asseritur inter Marcum, qui (2) Christum crucifixum refert *hora tertia*, et Joannem, qui (3) eum ad crucem damnatum dicit *hora quasi sexta*. Tertia tandem ex eo infertur, quod Matthæus (4), et Marcus (5), utrumque Latronem cum Christo crucifixum ei illusisse, affirment; Lucas vero (6) Christo illudentem unum præbeat. Ast si gallum singulis noctibus bis cantare teneas, nempe circa noctis dimidium, ac denuo circa auroram, sique dixeris cum S. Augustino (7), Evangelistas omnes in eo convenire, quod Petrus Christum abnegare coeperit ante primum galli cantum, et ante secundum compleverit, nullam inter eosdem esse oppositionem fateberis; sed hoc unum dignosces discrimen, idest, Marcum et primum galli cantum notasse, quem indicare cæteri ommiserunt. Quamquam vero inter Marcum, et Joannem circa horam crucifixionis Christi evanescat omnis contradictio, si dicamus, Joannis textum legen-

(1) *Ibidem v.* 68. 70. 71. 72. (2) *Cap*. 15 *v*.25. (3) *Cap*. 19 .*v*. 14. (4) *Cap*.26. *v*. 44. (5) *Cap*.15. *v*. 32. (6) *Cap*. 23. *vs* 39. *et seq*. (7) *Lib*. 3. *de Couſens. Evaug. Cap*. 2. *num*. 7.

gendum esse non „ *hora quaſi ſexta* „ bene vero „ *hora quaſi Tertia* „ ; ita enim habent plures Codices ex antiquioribus, et præſertim Codex græcus Cantabricenſis, ipſumqueAutographum Ioannis diuEpheſi ſervatum; atque ita legitur in Chronico Alexandrino, et in fragmento de Paſchate apud Nonnum (1). Nihilominus, quin a Vulgata noſtra recedamus, animadvertentes, Judæos in quatuor partes, tertiam ſcilicet, ſextam, nonam, et duodecimam, diem dividere ſolitos fuiſſe, cum S. Auguſtino (2) dicimus, Marcum extremam horæ tertiæ partem, Joannem vero advenientem jam horam ſextam reſpexiſſe, et ideo illum huic minime contradicere, licet uterque diverſimode ſeſe exprimat. Patrum plerique, et imprimis S. Auguſtinus (3), arbitrantur, Matthaeum, et Marcum, dum ambos latrones Chriſto illuſiſſe narrant, pluralem numerum pro ſingulari uſurpaſſe, ac ita de uno egiſſe, quaſi de multis, cujus rei nonnulla etiam proferunt Scripturarum exempla. Nos ulterius advertimus, fortaſſe utrumque latronem initio Chriſto illuſiſſe;

(1) *Vide Calmet Comment. in Cap.* 27. *Matth.*
(2) *De Conſenſ. Evang. lib.* 3. *Cap.* 13.
(3) *Lib.* 3 *de Conſenſ. Evang. cap.* 16.

se; dein vero eorum alterum paenitentia ductum a conviciis cessasse, sociumque adhuc conviciantem objurgasse; quo in casu Matthaeus, et Marcus narrassent, quod prius uterque latronum praestitit; Lucas autem, quod factum est postea (1).

X. *Tandem contradictio nulla invenitur inter eoſdem quatuor Evangeliſtas in hiſtoria Reſurrectionis Chriſti.*

In Resurrectionis Christi historia quatuor inter Evangelistas contradictiones inveniri autumant (2); quarum prima respicit tempus, quo Mulieres ad Monumentum venere; Matthaeus namque illud fuisse asserit *vespere sabbati* (3), Marcus, *valde mane* (4), Lucas *valde diluculo* (5), Joannes *quum adhuc tenebræ eſſent* (6), et Marcus rursum *orto jam sole* (7). Altera spectat visionem a Mulieribus habitam in monumento, quam unius Angeli Marcus [8], duorum autem Lucas [9]. Tertia oritur ex eo, quod Matthaeus [10], Angelum Mulieribus Christi Re-

---

(1) *Vide Eminentis. Gotti Veritas Relig. Chriſt. Tom. 4. part. 2. Cap. 29. 9. 2.* (2) *Mr. Avocat apud du Barrau, aliique.* (3) *Cap. 28. v. 1.* (4) *Cap. 16. v. 2.* (5) *Cap. 24. v. 1.* (6) *Cap. 20. v. 1.* (7) *Cap. 16. v 2.* (8) *Cap. 16. v, 5.* (9) *Cap. 24 v. 4.* (10) *Cap. 28. v. 6.*

Resurrectionem statim nuntiasse, referat; haud nuntiasse vero, ex ipsarum Mulierum ignorantia circa Resurrectionem [1] inferatur. Vltima tandem est inter Lucam dicentem [2], Christum Jerosolymae se spectandum praebuisse *undecim* congregatis, et Joannem (3), ibi Thomam non adfuisse, adserentem. Veruntamen singulos Evangelistas variis illis locutionibus, quae idem penes omnes significare debent, mulieres ad monumentum venisse initio aurorae diei Dominicæ, quæ dies prima est hebdomadæ nomine Sabbati quandoque nuncupatæ(4), innuere voluisse, non est cur dubitemus; nec obstat Marcus addens *orto jam sole*: nam his verbis ad finem itineris Mulierum respexit, sicut illis aliis *valde mane* ad ejusdem itineris initium cum caeteris Evangelistis spectavit. Quid vero si dixerimus iterato ad sepulchrum mane illo occurrisse Mulieres? Id certe constat ex ipsis Evangelistis, quorum quum Marcus unum tantum Angelum a Mulieribus ibi visum, iisque allocutum exhibeat, Lucas vero duos; dicendum est, non eosdem sibi contradicere, sed duplicem Mulierum in monumentum

---

(1) *Joan. Cap.* 20. *v.* 2. (2) *Cap.* 24. *v.*33.
(3) *Cap.* 20.*v.*24. (4) *Luc.*19. *v.*12.

tum ingressum, ac duplicem Angelorum visionem quemque diversam referre (1). Licet autem jam edocta ab Angelis esset Magdalena de Christi resurrectione una cum aliis faeminis, ut insinuat Matthaeus; „*illum* tamen *resurrexiſſe aegre credebat*, *quod hoc ipsum vehementiſſime optaret*; *quamobrem ablatum fuisse dicit*„ (2), ut narrat Ioannes. Eatenus vero Lucas refert Christum se videndum praebuisse *undecim* congregatis, quum interim aberat Thomas, quatenus post defectionem Judæ Apostolorum Collegium hoc nomen *undecim* coepit obtinere; et ideo Apostoli simul congregati *undecim* dicebantur, licet unus, vel alter abesset. (3).

CAP.

---

(1) *Hieronymus Comment in Caput* 28. *Matth.*
(2) *Calmet comment. in v.* 2. *Cap.* 20. *Joan.*
(3) *Vide S. Auguſtinum lib.* 3. *de Conſens. Evang. cap.* 24.

CAPUT III.

De Tempore, & Idiomate, quibus conscripta fuere Evangelia.

I. *Paullo poſt Apoſtolorum mortem noſtra quatuor Evangelia fere omnibus tunc extantibus Ecclesiis innotuere.*

Brevi scilicet ad omnes Ecclesias Evangeliorum volumina delata fuisse, et apud illas divulgata, manifestissime colligitur ex Eusebio. Ipse enim postquam enarrasset(1), tria Evangelia, Matthaei nimirum, Marci, et Lucæ jam cunctis tunc extantibus fidelibus innotuisse, vivente adhuc Joanne Apostolo, et antequam Is suum Evangelium scripto committeret; id factum fuisse cura praecipue Discipulorum, qui Apostolis immediate successerunt, diserte asserit inquiens (2) ,, *Complures eodem tempore viguerunt inter Apoſtolorum Succeſſores principem obtinentes locum, qui, utpote Diſcipuli tantorum virorum, admirabiles plane, ac divini, Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis* Apo-

C

(1) *Hiſt. Eccles. lib.* 3. *Cap.* 24. (2) *Eodem lib.* 3. *cap.* 27.

Apoſtoli prius jecerant, additis aedificiis extruxerunt: praedicationem Evangelii magis ac magis promoventes, et salutaria Regni Coeleſtis semina per universum terrarum Orbem late spargentes. Siquidem plerique ex illius temporis Discipuli, quorum animos ardentioris philoſophiæ deſiderio verbum Divinum inundarat, Servatoris noſtri praeceptum jam antea expleverant, diviſis inter egentes Facultatibus suis: Deinde relicta patria peregre proficiſcentes munus obibant Evangeliſtarum iis, qui Fidei sermonem nunquam audiviſſent, Chriſtum praedicare, et sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitioſe satagentes ,,. Quo quidem factum est, ut Pantaenus vel ipsis Indis Evangelium Matthaei tunc notum repererit; ,,*Pantaenus ad Jndos veniſſe dicitur, ubi Evangelium Matthaei, quod ante ipsius adventum in India fuerat, apud quoſdam illic Chriſtum agnoſcentes, reperiſſe ferunt* ,, .Ita Eusebius (1), cui et Hieronymus concordat (2).

II. *Viventibus autem Apoſtolis eadem Evangelia ſaltem in Eccleſiis, quarum gratia conſcripta, quibuſque commiſſa sunt, pervulgata fuere.*

Id de unoquoque Evangelio facili negotio conficitur. Et primo quidem de Evange-

[1] *Hiſt. Eccl. lib.* 3. *Cap.* 46. *de Pantaeno*. [2] *Catal. Script. Eccles.*

gelio *ſecundum Matthaeum* ; etenim de eo loquens Origenes ait[1] „ *Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis . . . . primum ſcilicet Evangelium ſcriptum eſt a Matthaeo , qui illud . . . . Judaeis ad Fidem converſis publicavit.* „ Vnde Euſebius ipſe adſerere non dubitat [2] quod „ *quum pararet tranſire ad gentes* „ . . . *ſcripturam compoſuit, et ea , quae praedicaverat comprehendens , dereliquit ad memoriam his , a quibus proficiſcebatur* „ . Hoc idem conſtat de Evangelio *ſecundum Marcum* ; etenim „ *Marcum Petri ſectatorem* , inquit Clemens Alexandrinus [2] , *cujus hodieque extat Evangelium , enixe exorarunt* (Romani) *ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, ſcriptum aliquod monumentum apud ſe relinqueret, nec prius deſtiterunt , quam hominem expugnaſſent , auctoreſque ſcribendi illius , quod ſecundum Marcum dicitur Evangelii extitiſſent* „ . Hinc S. Hieronymus: *Marcus* , ait (3) , *juxta quod Petrum referentem audierat , rogatus Romae a Fratribus breve ſcripſit Evangelium quod quum Petrus audiſſet, probavit , et Eccleſiae legendum ſua auctoritate dedit* „ . Pariter Evangelium *ſecundum Lucam*, teſte Hieronymo iis traditum eſt Eccleſiis, quas in partibus Achajae,

 et

(1) *Apud Euſebium Hiſt. Eccles. lib. 3. Cap. 39.* [2] *Eodem lib. 3. cap. 24.* [3] *Apud. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 15.* (4) *De Script: Eccl.*

et Beotiæ fundaverat: *Lucas medicus*, ait S.Doctor (1), *cujus laus in Evangelio, qui et ipse Diſcipulus Apoſtoli Paulli, in Achajæ Beotiaeque partibus volumen condidit* „ ad quod, auctore Eusebio [2], solitus erat Paullus Fideles conversos remittere his verbis, quæ saepe ab eo usurpata reperiuntur, *secundum Evangelium meum*. Tandem Evangelium *secundum Joannem* statim Asiaticis Ecclesiis, quas ipse fundaverat, innotuisse, vel ex eo constat, quod ad scribendum nonnisi urgentibus iisdem Ecclesiis se contulerit, tum ut nonnulla memoratu digna suppleret, quæ in praecedentibus Evangeliis praetermissa fuere, tum ut nascentes Cerinthi, Ebionisque haereses, quibus Christi denegabatur Divinitas, comprimeret, uti Eusebius, et Hieronymus testantur,; *Itaque rogatus eſt Joannes Apoſtolus*, inquit ille (3), *ut ea, quæ praeterierunt priores ante traditionem Joannis, Salvatoris geſta scriptis comprehenderet*. „ Iste vero subdit (4): „*Joannes, quum eſſet in Aſia, et jam tunc haereticorum seminaria pullularent Cerinthi, Ebionis, et caeterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, coactus eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, et mul-*

[1] *Praefat. in Matthæ.* [2] *Hiſt. Eccles. lib.* 3. *Cap.* 4. (3) *Eodem lib.* 3. *cap.* 24. (4) *Proem. Comment. in Matth.*

multarum Eccleſiarum legationibus de Divinitate Salvatoris altius scribere ,, .

III. *Hinc vel ipſi antiquiores Eccleſiæ Patres eadem Evangelia ſuis in scriptis laudarunt* .

Negant id Dodvvellus [1], ejusque sectator Freretius [2]; verum immerito prorsus, ut ex Evangeliorum testimoniis, quæ vel apud ipsos leguntur Patres, Clementem scilicet Romanum, Ignatium, et Policarpum, quorum illi sibi vindicant patrocinium. Siquidem S. Clemens Romanus imprimis haec habet [3]: ,, *Miseremini ut misericordiam conſequamini ; dimittite, ut vobis dimittatur ; prout facitis , ita vobis retribuetur; sicut judicatis, ita judicabimini; sicut benigni eſtis , ita benignitatem patiemini; qua menſura metiemini, et vobis menſurabitur*; quæ profecto sententiæ iisdem fere verbis in Lucæ Evangelio [4] reperiuntur ,, *Eſtote miſericordes , sicut et Pater veſter misericors eſt : nolite judicare, & non judicabimini ; nolite condemnare, & non condemnabimini ; dimittite, et dimittemini ; date et dabitur vobis . . . eadem quippe mensura, qua menſi fueritis , remetietur et vobis* ,, . Tum etiam (5): ,, *Vae ili, per quem scandalum venit. Melius fo*-

 ret

[1] *Diſſertat. iu Irenae. num.* 39. [2] *In exam. crit. nov. Teſtam.* [3] *Epiſt. ad Corinth.* 1. *num.* 39. [4] *Cap.* 6. *v.* 36. 37. & 38. [5] *Eadem Epiſt.* 1.

ret ei , non natum fuiſſe , quam ut unum ex electis meis scandalizaret , praeſtaret , molam aſinariam de collo suspensam habere , et in mare demergi , quam ut unum ex electis meis scandalizaret „ ; haec autem verba quis ex eodem Lucæ Evangelio (1) excerpta denegaverit? Tum denique , ut alia ommittam , [2] „ *Alia quoque Scriptura ait : non veni vocare juſtos , sed peccatores* „ . Quaenam porro est Scriptura haec alia , nisi Matthaei Evangelium [3] , in quo ipsiſſima isthaec verba leguntur ? S. Barnabas autem sequentes habet sententias (4) „ *Attendamus ergo , ne forte , sicut scriptum eſt , multi vocati , pauci electi inveniantur* „ Rursum „ . *Tunc Apoſtolos ſuos* . . *elegit , qui erant super omne peccatum peccatores , ut oſtenderet , quia non venit vocare juſtos , ſed peccatores* „ ; quarum primam apud Matthaeum (5) , alteram apud Matthaeum ipsum (6) , tum apud Lucam (7) legimus . S. Polycarpus pariter nonnullos Evangeliorum textus laudat , praecipue dum ait (8) „ *Memores eſtote eorum , quæ dixit Dominus dicens* . . . . *dimittite , et dimittetur vobis* „ ; quæ ver-

---

(1) *Cap.* 17. *v.* 1. & 2. (2) *Epiſt.* 2. *num.* 2.
(3) *Cap.* 9. *v.* 13. (4) *Epiſt. Barnabae nomine inscipta* . (5) *Cap.* 22. *v.* 4. (6) *Cap.* 9. *v.* 3.
(7) *Cap.* 5. *v.* 32. (8) *Epiſtol. adPhilip. num.* 6.

verba in Evangeliis Lucæ (1), et Matthaei(2)prostant. Atque etiam(3),, *Praecibus rogantes omnium conspectorem Deum , ne nos inducat in tentationem;sicut dicit Dominus :spiritus quidem promptus eſt , caro autem infirma* ,, ; quod ex Evangelio Matthaei (4) depromptum quisque statim intelliget. Adhuc plura Evangelica dicta inveniuntur apud S. Ignatium Martyrem . Refert namque ipse , quæ in Evangelio Matthaei (5) leguntur, dum ait (6) ,, *Manifeſta eſt arbor ex fructibus ipsius* ,, . Item quæ apud eundem Matthaeum narrantur [7] , dum scribit (8) ,, *Baptizatus eſt a Joanne*(Christus),*ut impleatur omnis juſtitia* ,, ; Rursus quæ Matthaeus dixisse Christum exhibet (9) , dum inquit (10),, *Prudens eſto sicut serpens in omnibus , & ſimplex sicut columba* ,, . Sed maxime notatu dignum est , quod Phantasiastas refellens profert S. Pater (11) ,, *Neſitis velut quidam increduli . . . obliti illius , qui dicit : Verbum caro factum eſt : item : solvite templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud : et ſi exal-*

(1) *Cap. 6. v. 37.* (2) *Cap. 6. v. 12. & 14.*
(3) *Eadem Epiſt. num. 7.* (4) *Cap. 6. v. 13. & Cap. 26. v. 41.* (5) *Cap. 12. v. 33.* (6) *Epiſt. ad Ephes. num. 14.* (7) *Cap. 3. v 13. & seq.*
(8) *Epiſt. ad Smyrnen. num. 1.* (9) *Cap. 10. v. 16.*
(10) *Epiſt. ad Polycar. n. 2.* (11) *Epiſt. ad Smyrnen.*

exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum ,, . An non,dum haec protulit S.Ignatius , ea ipsa referre censendus est , quæ in Evangelio praesertim Joannis (1) legerat ? Quod tandem Evangelia a Patribus sequiorum temporum laudentur , notius est, quam ut probatione egeat .

IV. *Non ergo Evangelia innotescere dumtaxat , & pervulgari coeperunt Trajano , vel Hadriano imperante .*

Eo tantum tempore sacrorum Evangeliorum factam fuisse pervulgationem, asserit Freretius , idque a celeberrimo quodam Chronologo satis demonstratum affirmat(2) licet vero hujus sileat nomen,Dodvvellum tamen , haud immerito conjicimus , significare voluisse , qui ait (3) ,, *Latitabant enim usque ad recentiora illa seu Trajani , seu etiam fortaſſe Hadriani tempora , in privatarum Eccleſiarum , seu etiam hominum scriniis , scripta illa canonica , ne ad Eccleſiæ Catholicæ notitiam pervenirent* ,, & paullo infra: *erant igitur*, subdit (4) *hoc tantum tempore Evangelia scriptis commiſſa et quidem uno plura , in manus hominum deinde propaganda . Estque haec codicis*

(1) *Cap.* 1. *v.* 14. *Cap.* 2. *v.* 19. *Cap.* 12. *v.* 32. (2) *In Exam. Crit. Nov. Teſtam.* (3) *Diſſertat.* 1. *in Iren. num.* 38. (4) *Ibidem num.* 39.

cit Evangelii in Eccleſia paſſim recepti prima , ut exiſtimo , atque antiquiſſima mentio . Fine haec Trajani, et initiis Hadriani contigiſſe, eſt sane veriſimillimum , patefacta nimirum per Trajani Parthicas victorias , Oriente , gentibuſque antea incognitis,,. Cujus rei rationem reddens haec habet (1) ,,*ſic latuerant in illis terrarum angulis , in quibus scripta fuerant, Evangelia , ut nequidem resciverint recentiores Evangeliſtæ, quid scripſiſſent de iis rebus antiquiores . . . Certe S.Lucas si Genealogiam illam Domini in Matthaeo vidiſſet, non aliam ipse, nihilque fere habentem commune produxiſſet, nequidem minima conſilii tam diverſi edita ratione* ,, . Verum Evangelia in privatarum Ecclesiarum , seu hominum scriniis , terrarumque angulis neglecta , ac veluti oblita nunquam latuisse, sed , omnibus tunc extantibus Ecclesiis , statim fere ac conscripta fuere, innotuisse , manifestissime liquet tum ex supra expositis hujus Capitis propositionibus 1. et 2., tum exDodvuelliani adserti incredibilitate. Quis enim credet , Ecclesias illas , quarum rogatu Evangelia eadem conscripta fuere , hocce ab Evangelistis depositum tam exoptatum , vix receptum ita neglexisse, ut apud privatum solummodo aliquem ex Fide-

(1) *Ibidem num. 30.*

delibus remanserit, vel in earundem Ecclesiarum archiviis fuerit repositum, quin vel diu vigeret apud omnes ejus notitia, vel omnes iisdem Evangeliis ad publicam, privatamque instructionem uterentur? Equidem Ecclesiarum consuetudo, de qua Justinus (1), et Tertullianus (2), legendi videlicet in Fidelium Conventibus sacros libros rem nostram evidentissime conficit. Quod autem addit Dodvvellus asserens, ipsosmet posteriores Evangelistas, quid antiquiores scripserint, ignorasse, falsissimum est de Joanne, qui (3) Evangelia a tribus aliis jam antea conscripta ita novit, ut eadem probaverit, suoque testimonio illorum veritatem confirmaverit, ac deinde veluti in trium praecedentium Evangelistarum exemplum ad Evangelium suum exarandum se contulerit. Nec pariter Evangelia Marci, et Matth. ignorasse S. Lucam non satis evincit Dodvvellus; namque discrimen Matthaeum inter, et Lucam quoad Genealogiam Christi ex eo enascitur potissimum, quod Christi originem Matthaeus per Josephum tradat, Lucas vero per Mariam. Atque hujus rei aper-

(1) *Apolog. Chriſt. Relig.* (2) *Lib. de Praescript. Cap. 36.* (3) *Euſebius Hiſtor. Eccl. lib. 3. Cap. 24.*

apertæ satis rationem afferre, non indiguisse S.Scriptorem, per se patet.

V. *Quapropter eo circiter tempore noſtra Evangelia scripta fuere, quo res geſtæ in iis contentæ contigerunt.*

Extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, S. Matthaeum omnium primum ad Evangelium suum conscribendum se contulisse, illudque Jerosolymæ, antequam in remotas Provincias praedicationis gratia proficisceretur (1) scripsisse. At non aeque certus est hujus scriptionis annus, a se invicem de eo dissentientibus Ecclesiasticis Scriptoribus, Irenaeo praecipue, et Auctore operis imperfecti in Matthaeum, quorum ille (2) circa annum Christi 61., iste vero (3) circa annum 4. a Jesu Christo in Coelum recepto Matthaeum scripsisse testatur. Nihilominus satis probabiliter adfirmari potest, opus hoc confectum fuisse anno 8. post resurrectionem Christi, et 41. aeræ vulgaris, ut communis fert opinio, quæ et plurium SS. Patrum (4) testimonio fir-

(1) *Eusebius hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 24. Chrysostomus hom. 1. in Mat. Irenaeus lib. 3. Cap. 1. Hieronymus de viris Illu*[illegible]*r. & alii.* (2) *Lib. 3. Cap. 1.* (3) *Apud Baronium ad an. 38.* (4) *Anaſtaſius in synop. de Matth. Theophylactus in Matth. Euthymius in Matth. Nicephorus lib. 2. c. 45. Eusebius in Chron. &c.*

firmatur, et veteribus omnibus roboratur Mss., quæ ad calcem eam temporis adscriptionem servant (1). Tempus, quo conscriptum est S. Marci Evangelium, SS. Apostolorum Petri et Pauli morte posterius fuisse, refert Irenaeus, minus tamen probandus, quum certo constet S. Evangelistam ante Petri mortem martyrio fuisse coronatum (2). Tempus hujusmodi componit cum anno tertio Claudii Eusebius (3); cum quarto vero Scriptum Arabicum Erpenii, et Auctor Vitæ S. Marci a Kirstenio editus. Ex Graecis Mss. quædam ad calcem hujus Evangelii, hoc scriptum ferunt 12. annis post Christi Ascensionem; quum tamen majori numero alia (4) habeant decem, quibus conveniunt plerique ex Patribus (5); ejus ideo epocha cum anno 43. Jesu Christi recte componi potest. S. Lucæ Evangelium anno Christi 51. scriptum referunt Graeca Mss. (6), et ideo triennio priusquam comes efficeretur Pauli,

(1) *Calmet. Proleg. in Matth.* (2) *Eusebius Hiſt. Eccles. lib. 2. Hieronimus de Eccles. Script. & Martyrol. Rom. die 25. Apr.* (3) *Hiſt. Eccles. lib 2. cap. 15.*
(4) *Vide nov. Edit. N. T. Millii ad Calcem Marc.*
(5) *Euthymius in Marc. Theophylactus in Marc. Clemens Alexand. apud Euseb. hiſt. lib. 2. cap. 15. Epiphanius haeres. 51. Hieronymus de viris illuſt. et alii.*
(6) *Vide var. Lect. Millii ad finem Marc.*

li; id quod ſufficit ad hanc epocham abjiciendam. Si Patrum (1) fides teneatur opinantium de Evangelio Lucæ loqui Paullum illis verbis (2),, *cujus laus est in Evangelio per omnes Eccleſias*,, illud scriptum dicamus oportet ante annum Christi 57., quo Epistola secunda ad Corinthios data est; ex altera vero parte quum in Achaja opus confectum asserant S. Gregorius Nazianzenus (3), et Hieronymus (4), quumque Corinthii versaretur Paullus circa annum 53. (5), non immerito illius epocha circa hunc annum statuitur. Evangelium denique S. Joannis in Insula Pathmos scriptum volunt Athanasius (6), Auctor operis imperfecti (7), et pleraque Mss. græca (8). Rectius tamen alii illud Ephesi soluto exilio confecisse Joannem censent (9); quo fit, ut cum plerisque constitui possit hujus Evangelii epocha circa 98. Christi annum. Hæc autem omnia, ut ut certo minime definiant annum, quo singula Evangelia fuere scripta, ea tamen

(1) *Origen. Ambros. Hieron. Chrys. etc.*
(2) 2. *ad Corinth. Cap.* 8.*v.*18. (3) *Car.* 33.
(4) *Prol. comment. in Matth.* (5) *Calmet Proleg. in Luc.* (6) *In Synop.* (7) *Homil.* 1. (8) *Vide Millium poſt cap.* 21. *Ioan.* (9) *Irenaeus lib.*3. *Cap.* 1. *Epiphanius heres.* 51. *Euſebius hiſt. lib.* 5. *Cap.* 18. *& alii*.

men synchrona, hoc est eo circiter tempore scripta, quo res gestæ in iis contentæ contigerunt, nimirum non longe post obitum Christi, in ipsis Ecclesiæ primordiis, cum jam coelesti gratia roborati Apostoli Judæis primum, deinde Orbi universo novæ Legis Mysterium promulgarunt, evidenter ostendunt. Idipsum et hujus Capitis propos. 1 et 2, confirmant.

VI. *Porro Evangelium secundum Matthæum Chaldaico-Syriaco sermone litteris hebraicis ab Auctore suo exaratum fuit.*

Id duplici conficitur momento, et Ecclesiasticorum Scriptorum unanimi consensu, et ipsa ratione. Vnanimi, inquam, Scriptorum Ecclesiasticorum consensu; namque hoc tradunt Papias Joannis Apostoli Discipulus (1), Irenæus tum apud Eusebium (2), tum in propriis libris (3), Origenes (4), Eusebius ipse (5), S. Joannes Chrysostomus (6), S. Epiphanius (7), S. Augustinus (8), et ut caeteros ommittam, S. Hiero-

(1) *Apud Eusebium histor. Eccles. lib. 5. cap. 39.* (2) *Hist. Eccles. lib. 5. Cap. 8.* (3) *Lib. 3. Cap. 1.* (4) *Lib. 2. in Evang. Matth. apud Euseb. hist. lib. 6. Cap. 25.* (5) *Hist. Eccles. lib. 3. Cbp. 4. & lib. 5. Cap. 10.* (6) *Homil. 1. in Matth.* (7) *Haeres 30.* (8) *Lib. 1. de Cons. Evang. Cap. 2. & lib. 2. Cap. 56.*

ronymus, qui non uno in loco rem eandem affirmat, praesertim vero dum ait (1). „ *Matthaeus qui .... in Judaea propter eos, qui ex Circumciſione crediderant, EvangeliumChriſti Hebraicis litteris, verbisque composuit, Porro ipsumHebraicum habetur,usque hodie in Caesarienſi Bibliotheca etc.* „. Matthaeum graece scripsisse opinantes adserunt (2),hosce veteres Patres in traditionem hanc delapsos auctoritatate nihili facienda solius Papiæ nixos. At possibile ne est Veteres omnes pecudum more, et non perpensis primo, quæ nostri Adversarii excogitarunt,momentis, in unius viri sententiam conspirarint; et plus viderit Calvinus cum caeteris secum hac in re sentientibus tot saeculis remotus, quam Patres temporibus illis proximi, doctrina celebres, et in evolvendis rebus accuratissimi?Ratione autem ipsa, quia quum Matthaeus in Hebraeorum gratiam scriberet (3), non est credibile, quod alio, quam hebraico, seu mixto ex Chaldaico, et Syriaco sermone (4) tunc Haebreis commune, scri-

(1) *De Scriptor.Eccles. de Matth.* (2) *Imprimis Calvinus Harm. Evang. da Cap.2. Matth.*
(3) *Origenes apud* Euseb. *lib. 6. Hiſt. Eccl. Cap. 25. Eusebius ipse lib. 3. hiſt.Eccles. Cap. 4. Chrysoſtomus hom. 1. in Matth. Hieronymus de scriptor. Eccles. in Matth.aliique.*(4) *S. Hieronymus lib 3.cont.Pelag.*

scribere voluisse. Siquidem Evangelium ipsum exhibens Christum hebraice locutum (1); Actus item Apostlorum referentes (2), hos hebraice fuisse locutos, falsitatis non minus, quam imprudentiæ damnant Isaacum Vossium, qui (3) Jesu Christi aetate graecum sermonem, hebraico unis viris doctis relicto, Palæstinis fuisse communem, atque vernaculum affirmat.

VII. *Quamvis enim perierit tandem Hebraicum S. Matthæi autographum, diu nihilominus, apud Nazaræos praecipue, servatum est.*

Hebraicum S. Matthæi autographum periisse, negari non potest; namque tum quod a Munstero Basileæ anno 1537., tum quod a Joanne du Tillet Parisiis anno 1555. editum est genuinum Matthæi exemplar non esse, adeo certum est, ait Grotius (4), ut nullis indigeat argumentis. Sane in eis multa desunt; additiones plurimæ, plurimæq. mutationes etiam cernuntur, quibus, teste P. Joanne del'Haye (5) eadem ex Judaeorum promptuariis prodiisse, et ad detrahendam fidem græ-

(1) *Matth. cap. 23. 27. & alibi. Marc. 14. et alibi.* (2) *Cap. 2. v. 8. & seqq. Cap. 21. v. 40. Cap. 22. v. 2.* (3) *Praefat. Append. lib. 2. de septuag. Interp.* (4) *Initio Comment. in Matth.* (5) *Biblia Maxima Proleg. in No. Testament.*

græcæ, latinæque Editioni a Munstero, et du Tillet edita fuisse, recte conjicitur. Idem dicendum de Syriaca Editione Widmanstadii; nam praeter alia, videre est, hebraica, quae citantur in graeco Authographo, a Syris, quæ in ea extant, vocibus discrepare(1). Illud nihilominus diu servatum fuisse, praecipue apud Nazaraeos, adserere non dubitamus, Epiphanii, et Hieronymi testimonio innixi. Inquit ille(2) ,, *Est vero penes illos* (Nazaraeos) *Evangelium secundum Matthaeum herbaice scriptum, et quidem absoluſſimum. Hoc enim certiſſime prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant* ,, . Iste vero ita scribit(3),, *Porro ipsum hebraicum* (Matthaei Evangelium) *habetur usque hodie in Caesarienſi Bibliotheca, quam Pamphylus Martyr studioſiſſime canfecit. Mihi quoque a Nazaraeis, qui in Beraea Urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit* ,, . Idem repetit S. Doctor etiam contra Pelagianos (4); quo in loco per verba illa, *ut plerique autumant*, neutiquam dubitasse, sicutvult Clericus (5), sed quod tunc communi ferebatur sententia asseruisse

(1) *Vide Claudium Fraſſen Tom.* 1.
(2) *Haeres.* 29. (3) *De Viris Illuſt. Cap.* 3.
(4) *lib.* 3. [5] *ApudEminentis. Gotti Veritas Relig. Chriſt. Tom.* 1. *ubi de Euang.* §.2.

se credimus, utpote qui pluries, imo ad ipsum Julianum Apostatam revincendum eadem sententia utitur (1), qua uteretur nusquam, si ita non sensisset, suoque tempore id certum non esset. Quod si postea Epiphanius ipse(2)cum aliis(3)tanqu. mutilum, et corruptum hujusmodi Evangelium exhibet, id dictum de illo, quod apud Ebionitas erat ab Ebione vel primo Ecclesiæ Saeculo ad proprias tuendas hæreses interpolatum, intelligendum est, non de extante apud Nazaraeos, quibus nihil tale, ut illis, ætate etiam Hieronymi exprobrabatur (4); vel si et istud interpolatum velimus, hoc factum dicimus quibusdam narrationibus a Matthaeo non scriptis, sed voce auditis eidem Evangelio insertis (5), non aliter.

VIII. *Hinc vetus illud hebraicum S. Matthæi Evangelium ex graeco fuiſſe expreſſum, adfirmari nonniſi immerito poteſt.*

Ex hucusque dictis hoc satis superque constat; tum etiam ex quo in eo Evangelio sen-

(1) *Comment.in cap.* 11. *Oseæ* (2) Hæres. 51. (3)H*ieronimus Comment. in* 12.*Matth. & Origenes in Matth.* (4) *S. Hieronymus Comm. in Isai. Cap.* 8. *v.* 9.*Cap.* 29. *v.* 31. *& Cap.*9. *v.* 1. (5) *Vide Grotium Praefat.ad Matt. Calmet Proleg.in Matt. Gotti Verit. Chiſt. Rlig. tom.* 1. *de Evang.Cap.* 1. §.2.

sententiæ Veteris Testamenti ex hebraico Fonte, non ex græca Versione, laudentur, contra ac a cæteris Novi Testamenti Scriptoribus præstitum est. Unde Hieronymus ait (1) „ *In quo animadvertendum, quod ubicumque Evangeliſta sive ex perſona sua, sive ex perſona Domini Salvatoris Veteris Scripturæ teſtimoniis abutitur, non sequatur septuaginta Translatorum auctoritatem; sed Hebraicam, e quibus illa duo sunt: Ex Aegypto vocavi filium meum: et: Quoniam Nazaræus vocabitur*,„ Neque obstat græca hebræorum nominum expositio, quæ passim in græco Matthæi Evangelio invenitur (2); secus enim Genesis e. c. non esset dicendus hebraice scriptus, sed ex græco expressus, quia hebræorum nominum interpretationes continet (3); sicut autem non Auctoris, sed Interpretis est, quæ in Genesi talis hebraicarum vocum legitur interpretatio; ita adfirmandum venit de simili in Evangelio Matthæi interpretatione. Tandem non desunt, qui oppositum sentiant (4) ducti verbis illis Hieronymi [c] „ *quod quis poſtea in graecum tranſtulerit non satis certum eſt*,„ Patet enim ibi de

D 2 Tran-

(1) *De Viris Illust. Cap.* 3. (2) *Praesertim Ceo.* 23. *et* 27. (3) *Cap.* 31. *&* 35. (4) *Fraſſeu Disquis. bibl. Tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 2. (5) *De viris Illuſt. Cap.* 3.

Translatoris Persona, non de Translatione S. Patrem dubitare.

IX. *S. autem Marcus græco sermone suum digeſſit Evangelium.*

Est haec communior Eruditorum sententia, testimonio, vel saltem tacito assensu Veterum fulta (1), praecipue vero Hierony ni [2], et Augustini [3]. Extant quidem nonnulla græca Mss. hujus Evangelii, quæ latine adornatum illud testantur [4], quibus favent Syrus, et Arabs [5]. Verum imprimis reclamant græcismi, qui in eo passim reperiuntur, quos enumerat P. Claudius Frassen (6). Hinc est, quod textus græcus interdum elegantior est, et politior, quam latinus, ut utrumque conferenti constabit. Id etenim non aliunde oriri, dicamus oportet, quam ex eo quod græce scripserit Marcus, et ex græco fuerit latinus expressus, qui propterea translationum more in dicendi vi et elegantia ab originali nonnihil distat. Reclamat deinde ratio ipsa; si namque latine scripsit, qui fieri potuit, ut illius

(1) *Clamet Proleg. in Evang. S. Marc.*
(2) *Epiſt. 123. ad Damas. & alibi.* (3) *De Consens. Evang. lib. 1. Cap. 2.* (4) *In Nov. Edit. Mihii. Bodl. 7. M. 1.* (5) *Vide notas Seldeni in orig. Alexandria. Eutichii.* (6) *Disquis. Bibl. lib. 6. Cap. 3. n. 4.*

illius Auctographum latinum, aut aliquod exemplar non compareat? Quis credat Ecclesiam Romanam tam fidam Sacrorum Codicum custodem tantum thesaurum sibi dicatum intercidere permisisse? Possibile ne, tot Codices, quos Romani Nobiles, cæterique Itali a SS. Petro et Paullo conversi, certatim sibi describi curabant, et illi maxime, qui ad Evangelizandum aliis Nationibus ab eis delegabantur, omnes ad unum ita periisse, ut ne unus quidem superfuerit? Siquidem illud, quod Venetiis religiose servatur, S. Marci, ut putant Auctographum lingua græca esse conscriptum, testantur, qui venerandum illud depositum conservant (1), quidquid dicant Pagacinus (2), et Bernardus Montfaucon (3). Quare Genebrardi (4), et Possevini (5) sententiam, quâ S. Marcum utraque lingua græca, et latina scripsisse contendunt, minime probamus.

X. *Neque enim latine S. Marcum scripsisse evincitur ex quo Romæ, & in Romanorum gratiam scripserit.*

Baronius [6] cum aliis S. Marcum latine scripsissre affirmat, utpote qui cùm esset

 Pe-

[1] *Vide Cornelium a Lap. in Marc. pag.* 574.
(2) *Disertat. de hac re.* (3) *Diar. Ital cap.* 4.
[4] *In Chronol. ad an.* 44. (5) *In Marc.*
[6] *Annal. Eccles. ad an.* 45. *num.* 39.

Petri Interpres, Romæ potissimum, et in gratiam Romanorum, qui suis precibus efflagitaverant, ut quæ Is fuerat concionatus, in litteras referret, scripserit. Quaenam, iniquit Baronius, suberat causa, ut graece potius quam latine scriberet, cum praesertim Tiberii Imperatoris auctoritate, teste Svetonio [1], eadem graeca lingua Romæ apud Optimates jam exolesceret, et latina principem locum sibi vindicaret? Ast et eadem plane ratione, siquidem aliquid evinceretur, putandum esset, S. Paullum ad Romanos epistolam dantem latine scripsisse, et hebraice SS. Petrum, et Jacobum, quod ad Hebraeos scriberent: scitum est autem, omnes illos graecum sermonem adhibuisse. Est etiam omnibus exploratum, Romanos, S. Marci aetate, graeco perinde ac Latino sermone familiariter, ne fœminis quidem exceptis, uti consuevisse. Hinc Juvenalis (2)

.... Non poſſum ferre, Quirites Græcam urbem,
quamvis quota portio faecis Achaeæ?
Jam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes
et linguam, et mores &c.

Tum etiam [3]

Nam

[1] *In Tiberio cap.* 71. [2] *Satir.* 3.
[3] *Satir.* 6.

Nam quid rancidius quam , quod se non putat ulla
Formoſam , niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt ,
De Sulmonenſi mera Cecropis ? Omnia Graece ;
Cum sit turpe magis noſtris nescire latine ;
Hoc sermone pavent. hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta .

Ubi advertendum est, S.Marcum suum scripsisse Evangelium Romanis non plebejis, sed Patriciis, et Nobilibus, uti erant S.Clemens, S.Prudens, S.Torpes , et alii viri illustrioris, et primi ordinis (1) .

XI. *Tandem duo reliqui Evangeliſtæ Lucas , et Joannes opus suum græco idiomate litteris consignarunt .*

Nullus est de hac re dubitandi locus; ea enim certa redditur primo ex quo in Graecia uterque Evangelista scripserit, nimirum in Achajæ, Beotiaeque partibus , ut ait Hieronymus (2) , Lucas ; Joannes vero Ephesi (3) . Secundo ex graecismis quibus utriusque Evangelium refertum est (4) .

 Tan-

(1) *Fraſſen Disquis.Bibl. Tom. 1. lib. 6. Cap.3.*
[2] *Praefat. in Matth.* (3) *Irenaeus lib. 3. cap.1. Clemens Alexand. apud Euseb. Eccl. hiſt. lib. 6. cap. 14. & S. Hieronymus de Script. Eccles. in Ioanne.*
(4) *Fraſſen. Disquis. bibl. Tom. 1. lib.6. cap. 3. n.4.*

Tandem ex Veterum traditione; unde ait S. Augustinus (1) „ *Horum ſane quatuor solus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri graeco:* „ et S. Hieronymus „ *De Novo*, inquit (2), *nunc loquor Teſtamento, quod graecum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthaeo, qui primus in Judaea Evangelium Chriſti hebraicis litteris edidit* „.

CAPUT IV.

De Evangeliorum Auctoribus, & Scopo.

I. *Mathæus Apostolus revera Christi Evangelium scripsit.*

Hujus rei testes sunt locupletissimi Papias illius temporis scriptor, qui „ *Matthaeus quidem*, inquit (3); . . . *divina scripsit Oracula*„; Irenaeus qui „ *Matthaeus*, ait (4), *conscriptum Evangelium edidit* „ tum etiam „ *Matthaeus . . Scripturam edidit Evangelii*„ (5); Origenes scribens (6) „ *Primum scilicet Evange-*

(1) *Lib. 1. de Consens. Evang. Cap. 2.* (2) *Epiſt. 123. ad Damas.* (3) *Apud Eusebium Hiſt. Eccles. lib. 3. cap. 39.* (4) *Apud eundem ibi lib. 5. cap. 8.* (5) *Iren. lib. 3. cap. 1.* (6) *Lib. 1. Explicat. in Evang. Matth. apud Euseb. hiſt. lib. 6. cap. 25.*

gelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem Publicano, postea vero Apostolo Jesu Christi,, Eusebius etiam (1), S. Hieronymus (2), S. Joannes Chrysostomus (3), S. Augustinus (4), et omnes fere Ecclesiastici Scriptores uno ore fatentes, Matthaeum revera Christi Evangelium edidisse; adeo ut nullus ex Veteribus, qui id negarit, inveniatur.

II. *Erat autem Matthaeus filius Alphaei, tamen a fratre Jacobi Minoris diversus, dictus & Levi, Galilaea oriundus, Religione Judaeus, arte Publicanus.*

Nonnulli tum Veterum (5), tum Recentiorum (6), Matthaeum distinguunt a Levi filio Alphaei, de quo Lucas (7), et Marcus (8); idque ideo quia Matthaeus nunquam Matthaei nomine in novo Testamento appellatur: tum quia Heracleon (9) de Matthaeo, et de Levi tanquam de duobus viris agit, quod referens S. Clemens Alexandrinus, nec refutans, probare videtur;

---

(1) *Hiſtor. Eccles. lib. 3. cap. *. et alibi.* (2) *De Scriptor. Eccles. in Matth.* (3) *Hom. 1. in Matth.* (4) *De Consen. Evangeliſt. lib. 2. cap. ?.* (5) *Clemens Alexandinus lib. 4. strom.; et Origennes lib. 1. cont. Clsum* (6) *Grotius ad Matth., et Clericus ad Hammond. in Luc. cap. 5. v. 27.* (7) *Cap. 5. v. 27.* (8) *Cap. 2. v. 14.* (9) *Apud Clment. Alex. loco supra cit.*

tur: tum etiam quia Origenes testatur, Levi publicanum a Jesu Christo vocatum in numero Apostolorum non recenseri ,, *nisi*, ait (1), *in quibusdam exemplaribusEvangelii S.Marci* ,, . Siquidem exemplaria quaedam S. Marci , praesertim Ms. Cantuariense , legunt (2),, *Jesus vidit Jacobum filium Alphaei* ,, :alia vero ,, *vidit Matthaeum publicanum* ,,.Grotius autem quum legat in Vulgata , ac in caeteris exemplaribus Graecis et Mss. ,et impressis ,,*Levi publicanus* ,, non secus ac Matthaeus , propterea illum Telonii Praefectum , hunc ejus Ministrum fuisse authumat . Verum hae conjecturae haud valent opinionem frangere in Ecclesia receptam , atque fultam auctoritate sacrae Scripturae exhibentis vocationem Matthaei iisdem verbis , iisdemque circumstantiis instructam (3), ac vocationem Levi (4). Heracleonis autem auctoritas, Origenis dubitationes , silentium S. Clementis , quorumdam Mss. lectio tantine facienda sunt , ut contra exemplaria omnia,tam Mss.,quam impressa, contra perpetuum Scriptorum assensum valeant ? Ubi advertendum est,Origenem non semel communem confirmare sen-

(1) *Loco sup. cit.* (2) *Marci Cap.* 2. *v.* 14.
(3) *Matth.cap.* 9. *v.* 9. (4) *Marc. cap.* 2. *v.* 14. *et Luc. cap.* 5. *v.* 27.

sententiam (1); simulque Cotelerium (2), et Dodvvellum (3) adserere, Levi, de quo Heracleon, non eundem esse, ac publicanum, sed potius Lebbeum, qui idem est, ac S. Thaddaeus Apostolus. Quia vero Matthaeus dicitur in eodem Evangelio (4) *filius Alphaei*, ideo fratrem fuisse Jacobi Minoris a nonnullis traditum est (5): quod tamen ad libitum excogitatum fuisse, ostendit Evangelica Marci, Lucae, et Matthaei enarratio in omnibus, excepto nomine, plane aequalis. Igitur erat Matthaeus filius Alphaei, tamen a fratre Jacobi Minoris diversus, dictus et Levi, Galilaea oriundus, ac proinde Religione Judaeus; namque erat Capharnaï incola (6); Capharnaum vero Civitatem Galilaeae vocant Matthaeus ipse (7), et Marcus (8); tum Galilaei omnes dicuntur Apostoli (9). Tandem erat arte Publicanus, utpote ad Telonium sedens, et Publicanus appellatus (10). *Pra-*

---

(1) *Praefat. Comment. in Epiſt. ad Rom., & in fragm. in Caten. in Matth. inser.* (2) *Not. in Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap.* 12. (3) *Diſſert.* 1. *in Iren.*
(4) *Marc. cap.* 2. *v.* 14. (5) *Chrysostomus in Matth. hom.* 33., *Theodoretus in Psal.* 67. *Vid. Boland.* 21. *Maii.*
(6) *Matth.* 8. *et* 9. (7) *Cap.* 4. *v.* 13. *et seqq.*
(8) *Cap.* 4. *v.* 31. (9) *Act. cap.* 1. *v.* 11.
(10) *Matth. cap.* 9. *v.* 9. *et seqq. Luc. Cap.* 5. *v.* 27. *et seqq. Marc. cap.* 2. *v.* 14 *et seqq.*

III. *Praecipuus Matthaei in ſcribendo ſcopus fuit, ut Chriſtum Dominum verum esse Messiam Judaeis demonſtraret.*

Sane in Judaeorum gratiam, qui ejus praedicatione, et opera in Christum crediderant, scripsit, testibus praecipue Origene (1), Eusebio (2), Hieronymo (3), atque Chrysostomo (4); id vero non aliam profecto ob caussam, nisi ut et in fide suscepta ipsi confirmarentur, et obtrectatores alios Judaeos contra Christi genus Davidicum, doctrinae, et miraculorum veritatem, vitae, ac mortis circumstantias maxime notatu dignas, revincere possent, aut saltem ab eorum calumniis, et incredulitate communirentur. Et enim cuique legenti patet, totum in eo esse Matthaeum, ut Prophetarum de his omnibus vaticinia in Jesu Nazareno impleta fuisse ostendat (5).

IV. *Chriſti Evangelium revera ſcripſit & Marcus.*

Id tradunt iidem ferme auctores, quos supra audivimus de Matthaeo, Papias nimi-

(1) *Lib. 1. Explic. in Matth. apud Euseb. lib. 6. cap. 25.* (2) *Hiſt. Eccles. lib. 3. cap. 4.* (3) *De script Eccles in Matth.* (4) *Homil. 1. in Matth.*

(5) *Vide Calmet Proleg. in Matth; et praecipue Frassen. Disquis. Bilie. tom. 1. lib. 6. cap. 2. num 6.*

rum Hierapolitanus Episcopus (1), Irenaeus (2), Eusebius (3), Tertullianus (4), Hieronymus (5), aliique plures. His accedit totius Ecclesiae, et Romanae praesertim, in cujus gratiam Marcus Evangelium edidit, ut supra notatum est prop. 2. cap. 3., constans, et universalis traditio, quae profecto rem penitus indubiam reddit.

V. *Fuit autem Marcus Petri Discipulus, facile Judaeus genere, & a Joanne Marco Paulli comite diversus.*

Non est equidem hic Evangelista cum Marco illo confundendus. qui unus ex 72. Discipulis fuisse fertur, qui cum Christo fuerant conversati, cujus sermo est in Actis Apostolorum (6), quique in Evangelii praedicatione Apostolum Paullum est secutus (7). Siquidem Marcus Evangelista opera Petri conversus fuit, utpote qui eum vocat filium (8), „ *Salutat vos*, inquit, . . . *& Marcus filius meus* „ : tali autem nomine eos, quos Christo genuerant, vocare consue- ve-

(1) *Apud Euseb* *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 8. [2] *Adversus Haeres lib.* 3. *cap.* 1. [3] *Hiſt. Eccles lib.* 3. *cap.* 15. *et lib.* 6. *cap* 14. [4] *Contr. Marcion. lib.* 4. *cap.* 5. [5] *De Script. Eccles in Marc.* [6] *Cap.* 12. *v.* 12. *et* 15. [7] *Coloſſens. cap.* 4. *v.* 10. [8] *Epiſt.* 1. *cap.* 5. *v.* 13.

rant Apostoli; quapropter = *Obsecro te*, ajebat Paullus [1], *pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo* = . Hinc Veteres omnes hunc Scriptorem Joannem nunquam, Marcum semper, Paulli nunquam, Petri quidem Discipulum, et comitem nominant = *Neque enim ipse*, inquit Papias (2), *Dominum audierat, aut ſectator fuerat unquam, ſed cum Petro, ut dixi, poſtea verſatus eſt* = : cui consentiunt Irenaeus (3), Tertullianus (4), Hieronymus (5), atque Eusebius (6), a quibus uno ore dicitur Marcus Petri *Discipulus, Sectator, Interpres*. Marcum vero fuisse Judaeum genere crediderim; licet enim hoc nomen hebraeum non sonet, nil officit, quum Judaei, quoties in partes interiores Asiae, aut Europae venirent, consuevissent sibi ad Judaicum nomen alterum adsciscere graecum, aut romanum; sic Barsabas *Juſtus* dictus est (7), et Joannes cognominatus est *Marcus* (8).

VI. *Scopus S. Marci in suo conscribendo Evangelio fuit oſtendere Chriſtum eſſe verum, & unicum Orbis Monarcham.*

Id

(1) *Epiſt. ad Philem. v.* 10. (2) *Apud EusebiumHiſt. Eccles. lib.* 3. *cap. ult.* (3) *Lib.* 3. *cap.* 1. (4) *Lib.* 4. *cont. Marcion. cap.* 5. (5) *De Script. Eccles. in Marc.* (6) *Hiſt. Eccles lib.* 2. *cap.* 14. *et* 15. (7) *Actor. Cap.* 1, *v.* 23. (8) *Ibidem cap.* 12. *v.* 12.

Id namque probat, inquit cum Edero Frassen (1) ex suprema ejus auctoritate, et potestate, cujus viginti munera, seu potius argumenta recenset; nimirum auctoritatem in spirituales substantias, quas suo subjicit imperio [2], curationem omnis generis morborum [3], remissionem peccatorum [4], dispensationem, et arbitrium legis [5], jus auctoritatem suam transferendi in alios [6], imperium super mare, et ventos [7], potestatem vitae, et necis (8), provisionem rerum ad vitae sustentationem necessariarum [9], abrogationem traditionum perversarum (10), restitutionem auditus, et loquelae (11), illuminationem visus (12), mutationem ordinis naturae (13) potestatem in exteros (14), interpretationem, seu potius perfectionem legis scriptae (15), imperinm Davidicum (16), judicium, ac scientiam cogitationum cordis alieni (17), cognitionem futurorum (18), fortitudinem, et constantiam in ferendis adver-

[1] *Disquis.Biblic. Tom.* 1. *lib.* 6. *cap.*3.
(2) *Cap.* 1. [3] *Ibidem*. [4] *Cap.* 2. [5] *Ibidem*; [6] *Cap.*3. [7] *Cap.*4. [8] *Cap.* 5. [9] *Cap.* 6. [10] *Cap.* 7. [11] *Cap.* 8. [12] *Fine Cap.* 8., *& initio cap.* 9. (13) *Cap.* 9. (14) *Cap.* 10. (15) *Ibidem, et Cap.* 11. (16) *Cap.* 11. *et* 12. (17) *Cap.* 13. [18] *Cap.* 14. *et* 15.

versis (1), potestatem in mortem (2) imperium tandem supra Coelos (3).

VII. *Hinc ex initio Evangelii Lucae nonnisi falso conjici poteſt, Matthaeum, & Marcum non fuisse Evangeliorum Scriptores.*

Haec conjectura Freretii esse videtur; is enim (4) legens initium Evangelli Lucae, quod est,, *Quoniam quidem multi conati sunt narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum*,, credidit Matthaei, et MarciEvangelia a viris rerum a Christo gestarum parum consciis conscripta fuisse; quod cum de Marco, et Matthaeo praecipue verificari nequeat, foret inde inferendum, alios ab iis diversos eadem Evangelia exarasse. Verum imprimis verbum illud *conati sunt* non est accipiendum pro *temere aggreſſi sunt*, sed simpliciter pro *aggreſſi sunt*, ut textus Graecus evincit; atque ideo non aliorum labores perstringit Lucas, sed tantum manifestat, se eorum exemplo ad scribendum contulisse. Accipiatur tamen pro *temere aggressi sunt*; quid propterea? Hoc unum, nempe iis verbis sugillat non Matthaeum, qui unus ex iis fuit,,, *qui ab initio ipsi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis*,, (5); non Marcum, qui

(1) *Cap.* 14. & 15. [2] *Cap.* 16. (3) *Ibidem, et cap. ult.* (4) *Exam. Criti. Nov. Teſtam.* [] *Luc. Cap.* 1. *v.* 2.

qui Petrum audierat, et secutus fuerat; horum Evangelia fortasse neque viderat: sed Pseudo-Apostolos, et Pseudo Scriptores, qui ut suis erroribus patrocinium accerserent, Evangelia confinxerant. Arguit vero praesertim, ut docet S. Epiphanius (1), Cerinthum, Ebionem, Merinthum, Cleobulum, aliosque, qui conati quidem sunt texere historiam Evangelicam suis pravis dogmatibus congruentem, sed implere non potuerunt. „ *Qui enim*, inquit S. Ambrosius (2), *conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implevit. Sine conatu sunt enim donationes, et gratiae Dei, qui ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat; sed redundet Scriptoris ingenium. Non conatus est Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Lucas; sed divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante sine ullo molimine coepta compleverunt: et ideo dicit: quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quae in nobis completae sunt: vel quae in nobis redundant; quod redundat nulli deficit: et de completo nemo dubitat, cum fidem effectus adstruat, exitus probet.* „

VIII. *Evangelii Scriptorem fuiſſe et Lucam certiſſimum est.*

F Hoc

(1) *Haeres.* 51. (2) *In Proem. in Luc.*

Hoc enim, nemine refragante, traditur ab Ignatio (1), Irenaeo (2), Euthymio (3), Epiphanio (4), Origene (5), Tertulliano (6), Gregorio Nazianzeno (7), Eusebio (8), Hieronymo (9), Ambrosio (10), et aliis longe pluribus, quorum vel ipsa nomina hic referre nimium esset.

IX. *Lucas porro fuit natione Syrus, patria Antiochenus, Religione probabiliter Judaismi proselytus arte Medicus et veroſimiliter etiam pictor, ac tandem Paulli Discipulus, et comes.*

Lucas, qui et Lucanus in Mss. Codicibus Bobiensi, et S. Joannis de Carbonaria Neapoli, quorum initium est „ *Evangelium secundum Lucanum* „ et in Codice Cottoniano, cujus finis est „ *explicit Evangelium secundum Lucanum* „ (11); vel Lucius, ut eum vocat Paullus (12); vel Lucillius, ut Grotio placet (13), fuit, inquam, natione Syrus, patria Antiochenus: etenim Antiochenum eum

(1) *Epist. ad Ephes.* (2) *Lib.* 3. *cap.* 1.
(3) *Praefat. in Luc.* (4) Haeres. 51.
(5) Lib. 4. *cont Celsum.* (6) *Cont. Marcion. lib.* 4. *cap.* 5. (7) *Carm.* 43. (8) *Hiſt. Eccles. lib.* 3. *cap.* 4.
(9) *De Script Eccles. in Luc.* (10) *Proem. in* Luc.
(11) *Vide Millium ad* 1. *Thessal. cap.* 1. (12) *Epiſt. ad Rom. cap.* 16. *v.* 21. (13) *Praefat. in* Luc.

eum appellant Eusebius (1), et Hieronymus (2); Antiochiam autem Syriæ capu fuisse docet Strabo (3). Eundem fuisse Religionis Judaicae Proselytum conjicimus cum Grotio (4) ex Josepho, qui (5) nos docet, Antiochiae magnam fuisse Judaeorum universitatem, ingentemque Proselytorum numerum, atque ex Hieronymo, qui (6) „ *Lucam*, inquit, *tradunt veteres tractatores, magis Graecas litteras ſciſſe, quam Hebraicas* „. Fuisse vero arte Medicum indicat Paullus (7) inquiens „ *Salutat vos Lucas Medicus carissimus* „ : hunc enim Lucam, de quo Paullus alium esse a Luca, de quo agimus, nullo argumento probari potest; qua in re accedit testimonium Eusebii (8), et Hieronymi (9). S. Evangelistam Pictoris quoque artem calluisse, vulgata opinio est, ac digito monstrantur Icones praesertim Beatae Virginis ab ipso, ut feruntur, depictae. Equidem fatemur, Sacram Scripturam, et antiquos Patres, ne unum quidem de hac re verbum habere; at eorum silentium sufficiens motivum rejiciendi tan-

 quam

(1) *Hiſt. Eccles. lib. 3. cap. 4.* (2) *De Script. Eccles. in Luc.* (3) Lib. 6. (4) *Præfat. in* Luc.
(5) *Antiquit. lib. 12. cap. 3.* (6) *Comment. in cap. 6. Isaiae.* (7) *Coloſſ. 4. v. 14.* (8) Hiſt. *lib. 3. cap. 4.*
(9) *De Script. Eccles. in* Luc.

quam fabulam Traditionem a Catholicis fere communiter receptam, non arbitramur; primo enim ex quo Scriptura, et Patres Lucam pictorem non asserant, non tamen negant; secundo autem dixerim, eatenus Scripturam, et Patres de arte Medica loqui, quia haec erat publica Lucae professio, de Pictoria silere, quia haec erat privatum hominis studium. Hujus Traditionis de Luca Pictore initium fuisse ex Graecis, non negarim. Omnium primus, ut puto, eam evulgavit Theodorus Agagnostes, Lector Ecclesiae Constantinopolitanae, qui sub fine Saeculi V. et initio VI. floruit, quique refert (1), „*Eudociam ab urbe Hieroſolymitana ad Pulcheriam miſiſſe imaginem Matris Domini, quam Lucas Apoſtolus depinxerat*„. Quam quidem Imaginem Pulcheria in una ex tribus Basilicis a se aedificatis *Hodegorum* dicta, sive quod caeci meritis B. Virginis visum recuperarent, nec amplius *Odigò*, idest ductore indigerent (2), sive quod Imperatores, ac Duces nullam susciperent expeditionem, quin prius S. Deiparam ibi salutassent, et viae comitem, et ductricem sibi fieri, essent deprecati (3).
Ex

(1) *Lib.* 1. *Collectaneor.* (2) *Codinus lib. de Origin. Conſtantinop. pag.* 41. *edit. Reg.*
(3) *Ducange Conſtantinop. Chriſt. lib.* 4. *cap.* 2.

Ex Theodoro sumsit Nicephorus (1), et Metaphrastes. Dum ergo Theodorus asserit, Iconem illam fuisse a S. Luca depictam constans est Traditione antiqua apud Constantinopolitanos, id exploratum illis temporibus fuisse. Tandem S. Epiphanius (2) cum aliis (3) arbitratur, S. Lucam Discipulum Christi fuisse; verum negat id vel ipse S. Evangelista inquiens (4) „ *ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis; visum est & mihi aſſecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere* „; quare iis veteribus Scriptoribus fidem praebemus, praesertim Tertulliano, atque Hieronymo, qui Paulli discipulum, et comitem dicunt, nihilque propriis oculis conspexisse eorum, quae scripsit, sed de iisdem certiorem a Paullo, et aliis Apostolis factum fuisse, asserunt. Ait enim ille (5) „ *Lucas non Apoſtolus, ſed Apoſtolicus, non Magiſter, ſed Discipulus, utique Magiſtro minor, certe tanto poſterior, quanto poſterioris Apoſtoli ſectator Paulli ſine dubio* „: iste vero scribit (6) „ *Tertius Evangeliſta Lucas . . . . cujus laus in Evangelio, qui & ipse Di-*

(1) *Lib.* 14. *cap.* 2. *et lib.* 15. *cap.* 14.
(2) *Haeres.* 51. (3) *Vide Calmet Proleg. in Luc. et Fraſſen Disquis. Biblic. lib.* 6. *cap.* 3. (4) *Cap.* 1. *v.* 2.
(5) *Lib.* 3. *cont. Marcion. cap.* 2. (6) *Praefat. in* Matth.

Diſcipulus ApoſtoliPauli ...„ & ut ipse in proemio confitetur , audita magis , quam visa describens „ .

X. *In hunc vero scopum collimat Lucae Evangelium , ut Chriſtum praestantiſſimum animarum Medicum , ac Mediatorem Dei , & hominum demonſtret .*

Totus enim est S.Lucas , ut , Christum omnes actus , omnemque doctrinam ad hominum sanitatem, salutem, et beatitudinem ordinasse , ostenderet ; quod quidem constat , inquit ex Aureolo nostro item noster Frassen (1), ex Christi in mundum ingressu per conceptionem , nativitatem, ac manifestationem in baptismo , in quibus ut filiusDei,et hominum Salvator innotuit (2); ex illius cum hominibus convictu , et conversatione , qua eximias suas virtutes manifestavit , et ad eas excolendas vivo exemplo suo homines provocavit , maxime ad poenitentiam , abstinentiam , religionem , patientiam , et misericordiam erga quoslibet calamitatibus affectos (3) ; similiter ad humilitatem , benevolentiam , et compassionem erga peccatores (4) ; tum ad veritatem , et sinceritatem (5) ; nec non ad in-

(1) *Disquis. Biblic. Tom. 1. lib. 6. cap. 3* §. 2.
(2) *Cap. 2. et* 3. (3) *Cap.* 4. (4) *Cap.* 5. (5) *Cap.* 6.

indulgentiam, atque clementiam (1); item ex summo studio, quo Christus Salvatoris, et Medici munus executus est et ad salutem homines vocando, et saluberrimis persuasionibus eos ad pietatem inducendo, et variis miraculis eosdem in sui sequela confirmando (2), et Apostolos, Discipulosque, qui hominibus salutarem suam doctrinam annuntiarent, eligendo (3), et illos praecipua ejusdem doctrinae capita edocendo (4); tandem ex salutifero Christi ex hac vita pro nobis discessu, per resurrectionem reditu, multiplici manifestatione, Sacramentorumque institutione (5), quae omnia quantum nobis salutaria fuerint, nemo ignorat.

XI. *Demum Evangelii ſcriptorem fuiſſe et Apoſtolum Joannem extra omnem eſſe debet dubitationem.*

Inter Veteres quaestio est equidem de tempore, et loco, quo Joannes suum conscripsit Evangelium, qua de re egimus supra Cap. III. propos. 5.; ast scripsisse, nemo est, qui neget; imo affirmant omnes, praecipue vero Dionysius Alexandri-

 nus

(1) *Cap.* 7. (2) *Cap.* 8. (3) *Cap.* 9. *et* 10. (4) *A cap.* 10. *uſq. ad* 22. (5) *Praecipue cap.* 22. 23. *et* 24.

nus(1), Irenaeus (2), Clemens Alexandrinus (3), Epiphanius, (4) Victor Petavienſis, (5) Origenes (6), Tertullianus (7), Theophilactus (8), Euſebius, (9) Hieronymus (10), Chryſostomus (11), aliique ſexcenti.

XII. *Joannes fuit Zebedaei Bethsaidensis, ac piscatoris filius, piscator et ipse, deinde a Chriſto ad Apoſtolatum vocatus, et inter alios specialiter dilectus.*

Legitur namque „(12) *Et procedens inde (Chriſtus), vidit alios duos fratres Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedaeo patre eorum, et reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum* „; Deinde Joannes in numero Apostolorum invenitur (13) „ *Et ascendens in montem* (Jesus), *vocavit ad ſe, quos voluit ipse .... Et fecit, ut eſſent duodecim .... Et Jacobum Zebedaei, & Joan-*

---

(1) *Apud. Euseb. Hiſt. Eccles. lib. 7. cap. 25.*

(2) *Lib. 3. cap. 1. et 11.* (3) *Apud Eusebium Hiſt. lib. 6. cap. 14.* (4) *Haeres. 51.* (5) *In Apocalyps.* (6) *Praefat. in Ioan. ex Edit. Graec Latin. Huet.* (7) *Contr. Marcion. lib. 4. Cap. 5.* (8) *Prolog. in Ioan.* (9) *Hiſt. Eccles. lib. 3. cap. 4.* (10) *De Scriptor. Eccles in Ioan.* (11) *Hom. 67. tom. 6.*

(12) *Matth. cap. 4. v. 21.* (13) *Marc. cap. 3. v. 13. et seqq.*

Joannem fratrem Jacobi &c. „ . Quo ad vero specialem dilectionis praerogativam, qua Christus eum proseqnebatur sic scribit ipse Joannes (1) „ *Converſus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus ..... Hic eſt Discipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, et scripsit haec, et scimus, quia verum eſt teſtimonium ejus* „ . Haec autem nullum dubitandi locum relinquunt, quin Joannes, de quo in praefatis verbis, sit ille idem, de quo agimus.

XIII. *Evangelium conſcribendi duplex Joanni scopus fuit, scilicet et Chriſti Divinitatem oſtendendi, et nonnulla ab aliis Evangeliſtis praetermiſſa supplendi.*

Primus scopus patet vel ex ipso ejus Evangelii initio, quod sic est (2) „ *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum .... Et Verbum caro factum eſt, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre plenum gratiae, et veritatis ... Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data eſt, gratia, & veritas per Jesum Chriſtum facta eſt, etc.* „ . Atque in hunc finem caetera omnia collimant,

(1) *Cap.* 21. *v.* 10 *et seqq.* (2) *Cap.* 1. *v.* 1. *et seqq.*

Digitized by Google

mant, quae in decursu sui Evangelii de Christi Doctrina penitus Divina, Miraculis, virtutibus, Redemptione, Sacramentorum institutione, et aliis, habet Joannes. Hinc Irenaeus (1) „ *Hanc fidem*, ait, *adnuncians Joannes Domini diſcipulus, volens per Evangelii nunciationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, et multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae etc.* „ De secundo autem scopo ita scribit Hieronymus (2) „ *Sed et aliam causam hujus ſcripturae ferunt, quod cum legiſſet Matthaei, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum hiſtoriae, et vera eos dixiſſe, firmaverit, ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt; poſt carcerem Joannis hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cujus acta a tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcerem, geſta narravit, ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint* „. Similia habet et Eusebius (3).

XIV. *Jam vero quatuor iſthæc Evangelia, ſtatim ac ſcripta fuere, ceu praefatorum Evangeliſtarum genuina opera Eccleſiæ Apoſtolicæ primum, deinde caeterae omnes receperunt, conſtanterque uſque nunc retinuerunt.* Vi-

(1) *Lib.* 3. *con.. haeres. cap.* 11. (2) *De Scriptor. Eccles. in Joan.* (3) *Hiſt. Eccles. lib.* 3. *cap.* 24.

Viventibus adhuc Apostolis Evangelia saltem in Ecclesiis, quarum gratia conscripta, quibusque commissa fuerunt, pervulgata fuisse diximus Cap. III. propos. 2. Esse autem pervulgata in iis non poterant, nisi ceu præfatorum Evangelistarum genuina opera, quum iisdem respective tradita fuerint vel immediate ab ipsismet Evangelistis, ut de Matthaeo, qui suum Judaeis ad fidem conversis (1), et de Joanne, qui suum Asiaticis Episcopis tradidit Evangelium (2); vel mediate, ut de Marco, cujus Evangelium Ecclesiae Romanae legendum consignavit Petrus (3), et de Luca, cujus Evangelium suum appellat Paullus (4), optime novimus. Hinc ab hujusmodi Ecclesiis eadem Evangelia religiose custodiebantur, et publice legebantur „ *Age jam*, inquiebat Tertullianus (5), *qui voles curioſitatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Eccleſias Apostolicas, apud quas ipsae* *ad-*

(1) *Ireaneus apud Eusebium Hiſt. Eccles. lib.* 5. *cap.* 10. *Origenes apud Eund. ibid. lib.* 6. *cap.* 25. *ac Eusebius ipse ibid. lib.* 3. *cap.* 4. (2) *Idem Euseb. ibidem cap.* 24. *et Hieronymus Proem. comment. in Matth.* (3) *Clemens Alexand. apud Euseb. H.ſt. lib.* 2. *cap.* 24. *et Hieronymus de Script. Eccles. in Marc.* (4) *Eusebius Hiſt. lib.* 3. *cap.* 4. (5) *De praescript. cap.* 36.

adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur ,, . Ab Apostolicis Ecclesiis brevi ad alias Ecclesias successu temporis fundatas Evangelia eadem propagata fuere, *Sicut ex Traditione accepi de quatuor Evangeliis*, ait Origenes (1), *sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo eſt, citra controversiam admittuntur, primum scilicet Evangelium scriptum a Matthaeo etc.* ,, . Consuetudo autem legendi in Ecclesia sacra Evangelia nunquam interrupta est, ut ex omnium Ecclesiae saeculorum historia constat, atque etiam nunc viget; quae quidem ad veritatem nostrae adsertionis sufficeret. Verum accedit, Christianos ut plurimum magis mori paratos fuisse, quam sacros Codices Gentilibus persequentibus tradere (2), nec non eosdem qualibet Ecclesiae aetate sacris Evangeliis ad revincendos Haereticos ad hunc diem usque usos fuisse, ut Patrum, et Theologorum scripta testantur.

XV. *Ecclesiarum autem Apoſtolicarum conſtans teſtimonium infallibilis regula vel ab initio fuit, qua genuina a spuriis, et apocryphis Evangeliis diſtinguerentur.*

Rem

(1) *Apud Eusebium Hiſt. lib.6. cap.25.*
(2) *Euseb.* Hiſt. Lib.8.*cap.2. et Baronius ad an.* 302.

Rem hanc sic per belle comprobat Tertullianus inquiens (1) „ *Ego meum* (Evangelium) *dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo adulteratum , Marcion meum . Quis inter nos determinabit ,niſi temporis ratio ei praeſcribens auctoritatem , quod antiquius reperietur ; et ei praejudicans variationem, quod poſterius revincetur* ? „ et infra (2) „ *In summa* , subjungit, *ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod et ab initio , quod ab Apoſtolis : pariter utique conſtabit , id eſſe ab Apoſtolis traditum , quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit sacroſanctum. Videamus quod lac a Paullo Corinthii hauſerint ; ad quam regulam Galatae ſint recorrecti ; quid legant Philippenses, Theſſalonicenses , Epheſii ; quid Romani de proximo ſonent , quibus Evangelium et Petrus , et Paullus sanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt . Habemus et Joannis alumnas Eccleſias : nam etſi Apocalypſim ejus Marcion reſpuit ; ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Joannem ſtabit auctorem . Sic et ceterarum generoſitas recognoſcitur . Dico itaque apud illas , nec ſolas jam Apoſtolicas, ſed apud univerſas , quae illis de ſocietate Sacramenti confoederantur id Evangelium . . . . ab initio editionis ſuae ſtare ; quod cum maxime tuemur: Marcionis*

(1) *Cont. Marcion. lib.* 4. (2) *Ibidem cap* 5.

nis verò pleriſque nec notum ; et non eo damnatum „ . Rem eandem non minori vi proſequitur Auguſtinus ſcribens (1) „ *Quum coepero Matthaei Evangelium recitare , ubi narratio nativitatis* (Chriſti) *contexitur , continuo dices illam narrationem non eſſe Matthaei , quam Matthaei eſſe dicit univerſa Eccleſia ab Apoſtolicis ſedibus usque ad praeſentes Epiſcopos certa ſucceſſione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichaei, ubi Jeſus negatur eſſe natus ex Virgine? Sicut ergo credo illum librum eſſe Manichaei, quoniam ipſo tempore , quo Manichaeus vivebat in carne , per diſcipulos ejus certa ſucceſſione praepoſitorum veſtrorum ad noſtra usque tempora cuſtoditus , atque perductus eſt : ſic et credite iſtum librum eſſe Matthaei , quem ex illo tempore, quo Matthaeus vivebat in carne , non intercepta ſerie temporum Eccleſia certa connexionis ſucceſſione uſque ad iſta tempora perduxit* „ : deinde vero ſubdit (2) ;, *Infelices animae veſtrae , quae unquam litterae ullum habebunt pondus auctoritatis , ſi Evangelicae non habebunt ? De quo libro certum erit , cujus ſit, ſi literae , quas Apoſtolorum dicit , et tenet Eccleſia ab Apoſtolis ipſis propagata , et per omnes gentes tanta eminen-*

[1] *Contr. Fauſtum lib.* 28. *cap.* 2. (2) *Cont. Eundem lib.* 36. *cap.* 3.

nentia declarata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt, Platonis, Ariſtotelis Ciceronis, Varronis, aliorumque hujusmodi auctorum libros, unde noverant homines, quod ipsorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet succedentium conteſtatione continua? . . . . Quae cum ita ſint quis tandem tanto furore caecatur, niſi Daemoniorum mendaciloquorum malitiae, atque fallaciae consentiendo subversus ſit, qui dicat, hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad poſteros trajicerent, quum eorum Cathedras usque ad praesentes Episcopos certiſſima succeſſione servaverint; quum hoc qualiumcumque hominum scriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive inipſa Eccleſia, tanta facilitate proveniat,, ? Sane quomodo fieri usquam potuit, ut fictitia Evangelia pro veris, et genuinis in Ecclesia admitterentur universali? Id voluntarie, et ex malitia factum suspicari, stultum est, ex inconsideratione, et deceptione, ineptum. Obstitissent primitus Apostoli, deinde Discipuli, tum Pastores, Fideles, ipsi Haeretici, quorum isti illos de eo accusassent. sicuti illi hos interpolationis, et fraudis saepe saepius revincebant: ,, *His fere compendiis*, ait Tertulllanus (1), *utimur, quum de*

(1) *Cont. Marcion. lib. 4. cap. 5.*

de Evvngelii fide adverſus Haereticos experimur, defendentibus & temnorum ordinem poſteritati falsariorum præſcribentem , & auctoritatem Eccleſiarum traditioni Apoſtolorum patrocinantem „.

XVI. *Quæ igitur nunc in Eccleſia Catholica extant quatuor Evangelia authentica ſunt, ideſt, genuini fœtùs eorum , quorum nomina gerunt* .

Non ignoramus , vocem hanc *authentieum* a juris peritis derivari , ac scriptum indicare, quod ex se fidem in judicio faciat, sitque talis auctoritatis , ut rejici merito nequeat : quo quidem in sensu Evangeliorum *authentia* eorundem tum divinitatem, tum canonicitatem comprehendit ; nihilominus quum interdum maximum auctoritatis pondus ab auctore scriptis accedat, *authenticum* opus appellari etiam consuevit, quod ab eo revera scriptum est, cujus nomen gerit : Hoc sub respectu hic nostra quatuor Evangelia authentica dicimus, et merito quidem ; ea namque ,statim ac scripta fuere , ceu genuina opera Matthaei, Marci, Lucae, et Joannis Ecclesiae Apostolicae primo, deinde caeterae omnes receperunt, constanterque ad hunc diem usque retinuerunt, ut patet propos. 15. hoc autem Ecclesiarum maxime Apostolicarum constans testimonium nullum de hac re dubitandi locum relinquere , mox vidimu propos. praeced. CA-

CAPUT V.

De Evangeliorum Veritate :

I. *Quae omnia in Evangeliis continentur poſſibilia sunt.*

Ea certe possibilia dicantur oportet, quae nullam absurditatem, contradictionem nullam praeseferunt. Jam vero Evangelia continent doctrinam, continent facta. Doctrina et mores spectat, et Fidem. Quae morum est vel in praeceptis, vel in consiliis consideratur. Quae praeceptis traditur ad amorem Dei, et proximi reducitur (1); qui quidem duplex amor utramque justitiae partem complectens, ut scilicet ne injusti simus, neve inhumani, quum ipsa sit naturae lex, impossibilitatis argui minime potest. Doctrina consiliis tradita ad perfectionem pertinet, non ad justitiam (2), quae idcirco qui non servat *minimus* quidem *erit in Regno Cælorum*, sed erit tamen. Haec paullo dixerim difficiliora, impossibilia autem nemo ostendet. Quibus ergo

 con-

(1) *Matth. cap.* 22. *v.* 37. *et seqq.* Marc. 12. *v.* 30. *et seqq.* (2) *Matth. cap.* 19. *v.* 16.

confici potest Legis Christianae impossibilitas? Ex eo quod, inquiunt ejus hostes (1), omni nos voluptate interdicat, nostri odium praecipiat (2); haec enim cum natura pugnant. Sed quorsum haec praecipit? Nempe non ut odio nos habeamus, sed ut cum ratione amemus, utque ab inordinato amore proprio caveamus, qui si dominetur, ratio nihil valet. Tota id vetus, ac recens Philosophia crepat. Epictetus (3) inter causas profectus ad virtutem, hanc ponit „*ſi quis a se tanquam ab inimico & inſidiatore caverit* „Vitiosam igitur philautiam, et nimiam cupiditatem iis praeceptis resecare studet Chrisriana lex: quae propterea ita nos projicere animam docet, ut Plato (4) Philosophum vocat, *qui mori didicerit*, et Philosophiam *mortis contemplationem*. Ex his intelligitur, quibus voluptatibus nos interdicat, iis nempe, quas ne Epicurus quidem probaverit (5), quae nempe cum hominis natura pugnant, pugnant cum fine; nam superfluas nec natura poscit, et non Christiana modo lex vetat, sed Philosophia quoque quanta quanta est. Quare quum eam ob rem illam accusant,

(1) *La Mettrie* (2) *Matth. cap.* 16. (3) *Cap.* 72. (4) *Apud Plutarchum De profectu virt.* (5) *Vide Laertiumn in Epicu.*

sant, ii suam potius intemperantiam efferre videntur, quam tam sapientem, ac sanctam legem vituperare. Doctrinam quoque Fidei, ut ut pro viribus conati sint Increduli (1), absurdam, atque contradictoriam nunquam ostendere potuerunt, nec poterunt. Si Deus E. g. credendus in ea proponeretur Unus simul et Trinus sub eodem vel naturae, vel personae respectu, passibilis, et impassibilis in eadem numero natura, ut illi falso supponunt, absurda, et contradictoria de Deo proponi, negaret nemo; sed quod Deus Unus sit in natura, Trinus in personis; quod harum secunda impassibilis sit in Divina natura, in qua subsistit, passibilis in humana. quam assumpsit, complet, perficit; dogmata haec quidem sunt, quae hominis captum penitus excedunt, nihil tamen absurdum, contradictorium nihil in se continent (2). Hoc idem et de aliis Fidei dogmatibus demonstratu facile est. Nunc facta examinemus. Haec vel naturae vires minime superant, et possibilia esse, quisque fatebitur; vel

(1) *Voltaire Examen de la Religion, Baelius art. Pyrrho. aliique* (2) *Vide S. Thomam Part.* 1. *quaeſt.* 38.*art.* 1., *et Boſsuetium in Admon.* 6. *adv. Iuricum.*

vel vires eas omnino transcendunt, vereque miracula sunt, et possibilia concipiuntur penes non naturalem, sed Divinam virtutem, quae omnia potest: „*Sicut non fuit*, inquit S. Augustinus (1), *Deo impoſſibile, quas voluit naturas inſtituere: ſic ei non eſt impoſſibile, in quidquid voluerit, quas inſtituit naturas mutare* „. Incredulis (2) id non placet, quibus leges naturae esse Dei decreta, et quidem immutabilia, probatum est. Veruntamen nonne decreta isthæc libere a Deo constituta fuere? Quid ergo prohibuit, quominus in edendis ordinarii naturae cursus decretis et miracula decernerentur: Mehercle nihil. Tum vero habes, naturae leges Dei decreta esse; habes Dei decreta esse immutabilia; tandem habes simul miracula possibilia esse, imo generali ordini quodammodo conjuncta. Hinc ajebat Augustinus (3). „*Nec enim iſta quum fiunt, contra naturam fiunt, niſi nobis, quibus aliter naturae cursus innotuit; non autem Deo, cui hoc eſt natura, quod fecerit*„: tum etiam [4] „*Quomodo eſt contra naturam, quod Dei ſit voluntate, quum voluntas tanti utique conditoris condi-*

(1) *Lib.* 21. *de Civ. Dei.* (2) *Spinoſ. Trant. Theolog Polit. cap.* 5. (3) *De Gen. ad lt. lib.* 6. *cap.* 13. (4) *De Civ. Dei lib.* 21. *cap. cap.* 8.

dìtae cujusque rei natura ſit ? Portentum ergo ſit non contra naturam ſed contra quam eſt nota natura ,, ,

II. *Eorum , quæ ſcripſerunt , neceſſariam habuere ſcientiam Evangeliſtæ .*

Siquidem eo circiter tempore nostraEvangelia scripta fuere,quo res gestae in iis contentae contigerunt(Cap.III.prop.5.),et quidem a Scriptoribus vel oculatis , qui scilicet Jesu Christi gesta suis oculis conspexere, doctrinamque ejus auditu accepere , ut de Matthaeo ,et Joanne demonstratum est Cap.IV. prop. 1. et 12. , vel a tamquam oculatis,utpote qui ab oculatis testibus , quae scripserunt,audivere,ut de Marco vidimusCap.IV. prop.5. , et de seipso affirmat Lucas (1) ; tum etiam quia oculati testes eorum scripta approbavere : namque Evangelium Marci ab Apostolorum PrincipePetro approbatum ex Clemente , et Papia Eusebius (2) , et ex eodem Clemente Hieronymus (3) tradunt ; utrumque vero Marci nimirum , et Lucae ab Apostolo Joanne iidem Eusebius,et Hieronymus approbatum referunt : „ *Perlatis jam* , ait ille (4) , *in omnium , ipſiusque adeo Joan-*

(1) *Cap. 1. v. 2.* (2) *Hiſt. Eccles. lib. 2. cap. 14. et 15.* (3) *De Scriptor. Eccles in Marc.* (4) *Hiſt. lib. 3. cap. 24.*

Joannis notitiam , *ſuptadictis tribus Evangeliis* , *approbaviſſe ea Joannes* , *& veritatem Scriptorum ſuo teſtimonio confirmaſſe dicitur* „ : iste vero scribit (1) „ *quod cum legiſſet Matthaei* , *Marci* , *& Lucae volumina* , *probaverit quidem textum hiſtoriae* , *& vera eos dixiſſe firmaverit* „ . Hisce porro attentis imperitiam, atque ignorantiam eorum ,quae scripserunt, in Evangelistas cadere non posse , quisque videt. Id enim agebatur , ut quae viderant, quae tetigerant, quae audierant , quorum ipsi tanta pars fuèrant, enarrarent . Sed et doctrinam ,quum narrant , si quae pars est, quae ultra communem rationem abit , ita narrant , ut non dissimulent , ejus se rationis esse ignaros, nec recitare, nisi quae a Christo acceperant . Sed factis insistamus , Eorum nullum est, quod non homines in ampla , et exculta urbe vel plebejis et plene sentire possint, et aliis eloqui.

III. *Evangeliſtæ in iis* , *quæ ſcripserunt ab omni illuſionis ſuspicione sunt immunes* .

Tametsi non desint quandoque homines fanatici , qui vident , quae nusquam sunt, eaque sibi persuadent ; id nihilominus de Evangelistis suspicari minime licet . Etenim doctrina , miracula , caeteraque Chri-

(1) *De Script. Eccles. in Joann.*

Christi gesta perspicua erant, obvia, atque apertissima, ut audientem, vel intuentem sensibus praeditum falli impossibile fuerit. Doctrinam eandem pluries repetitam audivere, et audiendo se adhibebant, ut eam alte animo infigerent; si quam vero non essent assecuti, explicari sibi postulabant (1), perceptamque non patiebantur amplius ab animo discedere. Miracula vero, quae referuntur, adeo splendida sunt, et omnibus sensibus non ipsorum modo, sed et aliorum ingenti numero circumstantium objecta, ut ea proinde confessi sint vel ipsi Judaei (2). Quomodo ergo in iis decipi potuerunt? Quomodo sibi potuerunt in animum inducere, paralyticis mobilitatem, et corporis usum (3), leprosis integritatem (4), claudis expeditam gradiendi facultatem (5) coecis visum (6), mortuisque vitam fuisse a Christo restitutam (7), nisi haec omnia reapse contigissent? Quomodo, quaeso, falli potuerunt in panum, ac piscium bis

 fa-

(1) *Matth. cap. 15. v. 15. et cap. 17. v. 10. et alibi.*
(2) *Joan. cap. 11. v. 46. et Thalmud part. 4. lib. 6.*
(3) *Matth. cap. 15. v. 27.* (4) *Idem cap. 8. v. 3. Luc. cap. 17. v. 14.* (5) *Idem cap. 15. v. 31.*
(6) *Idem cap. 9. v. 30. cap. 20 v. et alibi.*
(7) *Matth. cap. 9. v. 25. et cap. 27. v. 52.*

facta multiplicatione (1),quam reales effectus secuti sunt, saturitas plurium millium hominum, fragmentaque pluribus sportis collecta, et in qua sensus ferme omnes sibi mutuo testimonium dicebant, oculi, odoratus, gustus, tactus internus, et externus? Quomodo in Lazari suscitatione (2) illusio timeri potuit? Nonne publica fama, plurimorumque ibi praesentium testimonio constitit, Lazarum et mortuum, et sepultum, et quidem quatriduo ante fuisse, ita ut jam putrefactus gravissimum diffunderet odorem? Nonne viderunt una cum caeteris magna copia adstantibus eundem ad solam Domini vocem ex sepulchro prodire? Tandem, ut alia plurima omittamus, quomodo illudi potuerunt, cum Magistrum suum e mortuis redivivum conspexerunt? Nonne in conspectu totius civitatis cruci suffixus, mortuus, atque sepultus fuit (3)? Nonne post tres dies cum Vivente rursum locuti, et pransi sunt, carnem et ossa contigerunt, istudque non semel et iterum, sed repetitis vicibus (4) per dies omnino qua-

---

[1] *Matth. cap.* 14. *et* 15. [2] *Ioan. cap.* 11. *v.* 43. [3] *Matth. cap.* 27. *Luc. cap.* 23., *Marc. cap.* 15. *Ioan cap.* 19. [4] *Matth. cap.* 28. *Marc. cap.* 16. *Luc. cap.* 24. *Ioan. cap.* 20. *et* 21.

quadraginta (1), nec ipsi soli, sed plures quam quingenti (2)? Nonne collecti subinde omnes abiturientis voces, et suprema monita suis auribus exceperunt (3); nube evectum, et gloriose in coelos ascendentem et oculis, et pia animi cogitatione prosecuti sunt (4)? Quum autem ut infami supplicii genere extinctum viderunt Apostoli, increduli plus aequo erga resurrectionem ejus sese exhibuerint (5), profecto omnem cum ratione humanitatem exuit, qui eosdem superstitiosae credulitatis argui posse putet.

IV. *Auctores Evangeliorum non ulla vi, aut dolo, neque ex conspiratione, ſed ſolo veritatis amore ſcripsere.*

Quae fingi usquam potest vis, quae Evangelistas ad scribendum compelleret? An ambitio, vanaeque laudis, et honoris cupido? At quid magis ab illis abfuit? An divitiae? At quid magis ab illis repudiatum? An gentis suae gloria? At hanc potius funditus eversum ibant. An Principum

[1] *Act. Apoſt. cap.* 1. *v.* 2. *et seqq.*
(2) *Epiſt.* 1. *ad Corinth. cap.* 15. *v.* 6. [3] *Act. cap.* 1. *v.* 4. *et seqq.* (4) *Ibidem v.* 9. *et seqq.*
(5) *Matth. cap.* 28. *Marc. cap.* 16. *Luc. cap.* 24. *Joan. cap.* 20.

pum favor, vel minae? At horum opposita erant mandata? An Christi amicitia? At tanto dispendio hominis infanda morte necati amicitiam colere, quis furor? Deinde nonne imo pro laude dedecus, pro gloria cruces, pro divitiis inopiam, pro voluptate moerorem, sibi passim repensas habuerunt? Nonne in carcerem trusi, virgis caesi, bestiis objecti, omnium facti peripsema, nulloque non tormentorum genere ad mortem usque vexati fuerunt? In his autem subeundis qua constantia veritatem contestati sunt eorum, quae scripsere, et quidem non statim, sed longum post tempus? Haec adeo gravia sunt, ut Evangelistae quamvis Christi discipuli, domestici, ac familiares fuerint, nulla fraudis, ac doli suspicione gravari possint. Sed mentiri voluerint; quum sibi mutuo in iis, quae scripsere, conveniant (Cap. II.), profecto mutua conspiratione prius inter se longo, et maturo consilio de omnibus deliberare, atque constituere debuissent, quam ad tam arduum opus aggrederentur. Ast eos id nec egisse, nec agere potuisse, certum est. Primum, quum ea facta apud Hebraeos, tum inter alias gentes praedicatum irent, tantum abest, ut indicia ulla praeseferant ejus conspirationis, atque suscepti consilii, ut

ut potius longe videantur fuisse ab animo quidquam scribendi. Nam scimus plurimos ex Judaeis, Synagoga relicta, Christo nomen dedisse, eosque ex iis ipsis, qui Christum viderant, et audierant, ejusque gesta conspexerant (1), quique postmodum evulgatis Evangeliis, de Scriptorum sinceritate dijudicare facile poterant. Tum ad gentibus praedicandum intenti, nonnisi per diversa, et remotissima etiam loca dispersi, nacta occasione vel ut fabulas, quas vulgus, aut Christi hostes disseminaverant, refellerent, vel ut falsas interpretationes doctrinae Christianae dissiparent, vel nascentia dissidia compescerent, scripserunt. Sed ne possibilis quidem ea conspiratio erat. Nempe ut ubi uno facto impetu aliquid manu gerendum est, idque dum calent animi, plures in idem quantumvis arduum, stultum, et crudele conspirent, fieri posse, saepeque factum concedimus. At ut id fiat, non ubi manu opus est, sed persuasione, nec perficiatur ardentibus adhuc animis, sed longo post tempore, atque aestu remisso, id a natura humana alienum esse, nemo non videt. Accedit, quod quae historici probitatem inficere possunt, aut in su-

(1) *Act. Apoſt. cap.* 2. *et seqq.*

suspicionem adducere, non modo vacant omnia quoad Evangelistas, sed contra omnia insunt, quae valeant constabilire: sancti mores: verecundi: mendacii hostes aperti: paupertatis, illibataeque vitae perpetui professores. Eos viros, ut tanta adrogantia mentitos dicamus, et ad mentiendum conspirasse, tota repugnat natura. Non igitur conficta ex compacto narrant, sed quae viderant, quae manibus contrectaverant, quorumque et ipsi magna pars fuerant solo veritatis amore scripserunt. Praesertim quum nulla arte, nullo studio, nullo verborum lenocinio, nihil, ut Philosophis erat in more, disputando scribant, sed ita ut res geri viderant, vel audiverant, inculti, profanarum rerum incuriosi, saepeque etiam barbari; quae certe in magnis veracis testimonii argumentis haberi debent.

V. *Quæ ſcripſerunt Evangeliſtæ publica erant, & ſatis pervulgata apud Judaeos præſertim.*

Et de doctrina, et de gestis Christi id verificatur. De doctrina, inquam, quae in Judaea non secreto, sed palam, non inter domesticos parietes, sed in media Jerosolyma, in Templo, in finitimis Urbibus, et Castellis, non apud domesticos tantum, sed coram immensam hominum multitudinem, sed apud omnem populum a Christo ipso

prae-

praedicabatur, qui vel ipsis Legis Doctoribus ejusdem legis ignorantiam aut violationem constanter objiciebat, deque divina sua Missione obstinatam incredulitatem exprobrabat. His tota scatent Evangelia. Similiter de factis. Quae enim accidisse referuntur in nativitate Joannis Baptistae (1), que de ejus praedicatione, Baptismo, morte denique narrantur (2), nonne publica, et pervulgata fuere? Item Christi nativitas nonne pastoribus, Magis, Herodi, Legis doctoribus, totique Jerusalem nota fuit una cum prodigiis, quae tunc evenerunt (3)? Infantium Bethlehemiticorum caedes (4) equidem nedum Bethlehemitis, sed et finitimis urbibus, totique nationi nota esse oportuit. Baptismus Christi, super eum Columbae descensus, et vox e coelo delapsa, nonne perspicua fuere nedum Joanni, ejusque discipulis, sed et universae multitudini a Praecursore baptizatae (5)? Prodigia vero a Christo patrata nonne fuerunt in mediis Urbibus coram Judaeis, Samaritanis, Gentilibus, infensissi-

(1) *Luc. cap.* 1. (2) *Matth. cap.* 1. *et* 2. *Marc. cap.* 1. *Luc. cap.* 3. *Joan. cap.* 1. (3) *Matth. cap.* 2. *Luc. cap.* 2. (4) *Matth. cap.* 2. *v.* 16. (5) *Luc. cap.* 3. *v.* 21.

simisque hostibus, ad quae prodigia hos provocabat, ut de sua revinceret Divinitate, et quorum effectus adhuc extantes, nimirum a Daemonibus liberati, ab infirmitatibus curati, ad vitam e morte revocati totidem erant infallibilia eorundem testimonia? Haec omnes depraedicant Evangeliorum paginae. Quid magis pervulgatum ingressu Christi in Civitatem Jerusalem acclamante universo populo (1); ejusdeinde damnatione, morte, sepultura (2)? Tandem Christum e mortuis ad vitam rediisse non uni vel alteri, sed omnibus (3), pluribus, quam quingentis perspicuum fuit (4); imo et ipsis sepulchri custodibus, qui de Christi resurrectione Principibus Sacerdotum testimonium perhibuerunt (5). Quo factum est, ut postmodum de his, aliisque Christi gestis potuerint Apostoli, atque Evangelistae idipsum omni confidentia narrare, quin a quoquam mendacii se accusatos ire timerent.

VI. *Hiſtoria igitur Evangelica omnimodam meretur fidem.* Sci-

(1) *Matth. cap.* 21. *Marc. cap.* 11. *Lucae cap.* 19. *v.* 35. *et seqq. Joan. cap.* 12. *v.* 14. *et seqq.*
(2) *Matth. cap.* 27. *Marc. cap.* 15. *Luc.* 23. *Joan. cap.* 19. (3) *Joan.* 20. *et* 22. (4) *Ad Corinth.* 1. *cap.* 15. *v.* 6. (5) *Matth. cap.* 28. *v.* 11. *et seqq.*

Scilicet pro certo habendum est,quae in Evangeliis narrantur, vere contigisse, et contigisse modo, quo narrantur. Enim vero nihil impossibilitatis in iis continetur;eorum necessaria invenitur scientia in Evangelistis: hi quoad ea ab omni illu sionis suspicione sunt immunes; iidem non ulla vi, aut dolo, neque ex conspiratione, sed solo veritatis amore scripserunt: eademque publica fuere, et apud Judaeos satis pervulgata, ut praecedentibus propositionibus probatum est. At norunt Critici, novit quisque rationis particeps, isthaec veracis historiae argumenta ineluctabilia esse, quibus certe nulla humana historia plenius, meliusque corroboratur. Aut nulli igitur historiae credendum est, aut Evangelica inter certissimas adnumeranda. Nulli credere velle, nescio, utrum sit hominis communi generis humani sensu pollentis.

VII. *Hiſtoriae Evangelicae certitudinem confirmant vel ipſi exotici Scriptores.*

Siquidem oppidulo Terrae Judaeae ortum fuisse Jesum; paupercula Puella, fabri materiarii uxore victum opera sua quaeritante natum, atque in Aegyptum profugisse agnoscebat Celsus (1). Bethlehemi na-

(1) *Apud Origenem cont. Celſ.lib.* 1.

natum probant tabulae censuales Romanorum quamdiu extant, ad quas appellant Justinus (1), et Tertullianus (2). Ipsa Eusebii aetate adhuc Bethlehemitica spelunca ab Ethnicorum vulgo ostendebatur, ibique Christum Christianorum Doctorem natum memorabatur (3). Novum sydus post Christum natum apparuisse, quo duce Magi ab Oriente Bethlehem venerunt ipsum adoraturi, fatentur Chalcidius (4), et Julianus (5); atque atrocem Herodis adversus infantes, suumque adeo filium saevitiam memorabili dicto Augustus prosecutus est (6): *Praeſtare Herodis porcum eſſe, quam filium*. Christum morti damnatum, atque crudeli crucis supplicio affectum fuisse testatur Tacitus (7), et fatentur Judaei (8). Mirabilis illa solis defectio, et ingens Terrae motus, quae moriente Christo contigerunt, narrantur a Phlegonte (9), et ab aliis Ethnicis, ut testatur Eusebius

(1) *Dialog. cum Tryph. et Apolpg.* 2.
(2) *Lib.* 4. *cont. Marcion. Cap.* 19. *et* 36.
(3) *Lib.* 7. *Demon. Evang. cap.* 2. (4) *Coment. in Timaeum.* (5) *Apud Cyrillum cont. Julian lib.* 6.
(6) *Macrob. Saturnal. lib.* 2. *cap.* 4. (7) *Annal. lib.* 15. *cap.* 44. (8) *Thalmud. lib. Sanhedrin.*
(9) *Lib.* 13. *Olympic. Chronic.*

bius (1), praesertim vero in tabulariis, et publicis instrumentis Romanorum, ad quae Gentiles provocat Tertullianus.(2) Quae quidem Phlegontis Eclipsis temere et a Keplero (3), viro caeteroquin candido, ac Astronomicae artis peritissimo in annum rejicitur secundum Olympiadis CCII. diemque Novembris 24., et a Gerardo Vossio (4) diversa a memorata in Evangeliis (5) existimatur. Ea enim et in plenilunio contigit (6), contra ac supponit Keplerus, nec naturalis fuit, ut Vossius falso praetendit (7).

VIII. *Inter exoticos Scr'ptores Josehpus Flavius praesertim de pleriſque ad Evangelicam historiam pertinentibus inſigne teſtimonium perhibet Lib. XVIII. Antiq. cap. 4.*

Illud emendatum Codicibus Regiis ita se habet „ *Fuit autem hoc tempore Jesus, vir ſapiens: ſi tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum, qui vera libenter ampleſtuntur. Et*

 plu-

---

(1) *In Chron.* (2) *In Apolog. cap.* 21. (3) *In Elog.* (4) *Harm. Evang. lib.* 2. *cap.* 10. (5) *Matth. cap.* 27. *v.* 45. *Marc. ca.* 15. *v.* 33. *Luc. cap.* 23. *v.* 44. *et* 45. (6) *Africanus apud Sincellum in Cronogrpah.* (7) *Vide Petavium de Doctri. Temp. lib.* 10. *cap.* 24. *et Huetium Dem. Evang. prop.* 3. *n.* 9.

plurimos quidem ex Judaeis plurimos etiam ex Gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus: cumque eum a primoribus gentis ſuae accuſatum Pilatus ad crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtinuerunt, qui primum coeperant. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit; cum divini vates haec, aliaque quaplurima admiranda de eo praedixiſſent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus „ (1). Hunc Joſephi locum, quem praeclarum admodum ad Evangeliorum veritatem confirmandam quisque dignoſcit, utpote a viro Hebraeo coaevo, et magni nominis ſcriptore profectum, adulterinum, et a priſcis Chriſtianis pio dolo Hiſtoriae Joſephi aſſutum contendunt plerique (2); verum illum genuinum Joſephi foetum eſſe defendimus. Id autem probamus imprimis ex Veterum Scriptorum teſtimoniis, Euſebii praeſertim (3), Hieronymi (4), Sophronii (5), Rufini (6), Iſidori Peluſiotae (7), Her-

(1) *Apu Huetium Dem. Evang. Prop.* 3. *n.* 11.
(2) *Caſaubonus adver. Annal. Baron. exerc.* 16. *Blondellus Epiſt. ad Arnold.* 16 *Tanaquillus Faber, le Fevre laïque* (3) *Dem. Evang. lib.* 4. *cap.* 25. *et hiſt. lib* 1. *cap.* 11. (4) *De Scriptor. Eccl. in Joſeph.* (5) *De Scriptor. Eccles.* (6) *Hiſt. Eccles.*
(7) *Lib.* 4. *Epiſt.* 224.

Hermiae Sozomeni (1), Georgii Cedreni (2), Nicephori Callisti (3), Suidae (4), Hegesippi (5), et aliorum, qui omnes Josephi productum testimonium tanquam genuinum agnoverunt, et exscripserunt. Probamus secundo ex constanti, et perpetuo omnium Josephi codicum in eo retinendo consensu, tum veterum scilicet a mox memoratis scriptoribus diversis in locis, diversoque tempore consultorum, tum etiam eorum, qui nunc extant, quorum si quis eo caret, Judaeorum malitia abrasum tantummodo esse, ostendit Baronius (6), quem immerito prorsus Casaubonus (7) carpit. Tertio probamus ex Josephi diligentia in rebus Judaeorum persequendis, quae si ei Joannis Baptistae (8), teste Freculpho [9], et Suida (10); si Jacobi fratris Jesu, teste Eusebio (11) mentionem praetermittere non permisit; quis credet eum de Jesu tacere voluisse, quem iis longe notiorem, clarioremque sciebat? Probamus tandem ex orationis filo, dictionis colore, locutionibusque,

(1) *Lib. 1. cap. 1.* (2) *Hist. Comp. p. 169.*
(3) *Hist. lib. 1. cap. 39.* (4) *In Lexico.* (5) *In excid. urb. Hierus.* (6) *Ad ann. 34. n. 226.* (7) *Exercit. 16. adver. Annal. Baron.* (8) *Antiquit. lib. 18.*
(9) *Tom. 2. Chron. lib. 2. cap. 5.* (10) *In Lexico.*
(11) *Hist. Eccles. lib. 2. cap. 23.*

que ; omnia enim haec Josephi testimonium genuinum esse mire declarant [1] .

IX. *Confirmant quoque Evangelicae hiſtoriae certitudinem effectus , qui Chriſti praedicationem , facta , mortemque toto orbe intra paucos annos ſequuti ſunt .*

Infinitam prope multitudinem Christo nomen dedisse , eo adhuc in vivis , Evangelistae narrant diserte (2) : ea in dies percrebuit (3), longeque pervagata est (4). Altero a Christo saeculo Religio ipsius jam omnia pervaserat, ita ut ineunte tertio saeculo confidentissime dicere potuerit Tertullianus (5) ,, *Veſtra omnia implevimus ; urbes, inſulas , caſtella municipia , conciliabula, caſtra ipſa , tribus , decurias , ſenatum, forum* ,,. Id quod et acta Martyrum ostendunt, et inde facile quis conjecerit , quod exeunte tertio saeculo totus orbis Romanus se esse Christianum sensit (6) . Neque vero veteres Christianos illos non fuisse nisi ignotum vulgus , inermes puellas , et deliros senes, quia

(1) *Vide HuetiumDem. Evang prop. 3. num. 9. et seqq. Pagium Crit. in Annal. Bar. ad an. 32. n. 25. Carolum Daubuz pro teſtim. Joseph. et alios.*

(2) *Joan. cap. 4. v. 39. et ſeqq. cap. 7. v. 32. cap. 11. v. 45. tum alii Evang.* (3) *Act Apoſt. cap. 3. v. 41. cap. 4. v. 4* (4) *Epiſt. ad Coloſſ. cap. 1. v. 1. et v. 23.* (5) *Apolog. cap. 37.* (6) *Tertullianus ibidem .*

quis autumet, ut inique, et imperite jactant quum veteres (1), tum recentiores (2) Christiani nominis hostes; namque de Judaeis juxta et Gentibus nobiles plurimos, et quod praecipue refert, omnigena litteratura ornatos, Christianam Religionem esse amplexos, certissimum est. Quod pertinet ad Judaeos, Princeps unus venit ad Jesum pro sua emortua puella, quam Is suscitavit (3); nec dubito, quin ejus domus crediderit. Ad Christum accessit et Joseph ab Arimathaea nobilis decurio (4), atque Nicodemus Princeps Judaeorum (5). Fuisse ejusdem generis alios, quos Evangelistae in tanto credentium numero omiserunt, negabit fortasse nemo. Post Christi mortem quosdam ex Aristobuli domo, Regiae scilicet stirpis, credidisse, Paullus tradidit (6), atque plures sibi adjutores in Evangelio habuisse scribit (7), quos prius le-

(1) *Apud Minutium Felicem in Octavio cap.* 8. *apud Lactantium lib.* 5. *csp.* 13. *Apud Prudentium In agone Romani, et in agone Fructuosi.* (2) *Baelius praesertim Dict. Crit. art. Mahummed.* (3) *Matth. cap.* 9. *v.* 18. *et seqq. Marc. cap.* 5. *v.* 23. *et seqq.* Luc. *cap.* 8. 42. *et seqq.* (4) *Matth. cap.* 27. *v.* 57. *Marc. cap.* 15. *v.* 43. Luc. *cap* 23. *v.* 50. Joan. *cap.* 19. *v.* 38. (5) *Joan. cap.* 3. *v.* 1. *et teqq. et cap.* 19. *v.* 39. (6) *Epiſt. ad Timoth.* 2. *cap. ult.* (7) *Philip. cap.* 4. *v.* 3. *et alibi.*

legis doctores fuisse narrat Eusebius (1). Primores Hierosolymorum quosdam credidisse, testatur quoque Egesippus (2). Quod spectat ad Ethnicos, ex Eusebio (3) scimus infinitos propemodum fuisse Episcopos Asiae, Africae, Europae, ex Gentilibus litteratis ad Christum conversis, quorum etiam varia adhuc extant fragmenta, quae non praestat hic memorare. Quot praeterea alii, qui nunquam Episcopi fuere? Eusebius affirmat(4), *viros insignes litteris et pietate qui Apostolis successere per orbem terrarum, se numerare non posse, ac eos tantum commemorare, quorum sua aetate scripta supererant* „. Hinc Arnobius (5) ita Gentiles urgebat „ *Vel haec saltem fidem vobis faciant argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi tempore immensi nominis huius sacramenta diffusa sunt; quod nulla jam natio est tam barbari moris, et mansuetudinem nesciens, quae non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, et in placidos sensus assumta tranquillitate migraverit; quod tam magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, consulti juris, ac medici, Philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt, spretis, quibus paullo ante*

(1) *Lib.* 3. *Hiſt. cap.* 4. (2) *Apud Eusebium hiſt. lib.* 2. *cap.* 23. (3) *Hiſt. Eccles. lib.* 1. *usq. ad* 9. (4) *Lib.* 2. *Hiſt Eccles.* (5) *Contr. Gent.*

ante fidebant etc,, .Sed et fuerunt plures majorum imaginibus illustres ; etenim legimus (1),. *Policarpum , dum caperetur . orasse pro magnis juxta , et humilibus , nobilibus , et obscuris Christianis* ,,: tum Romae floruisse vel ab initio utriusque sexus inter Christianos nobilitate celebres ex Irenaeo colligitur (2), atque Eusebio (3) . Jam vero haec tam celer , tamque mira propagatio Christianae Religionis intelligi nullatenus potest , nisi admissa ejusdem veritate . Siquidem quid secus praestassent Apostoli sua praedicatione , si numero pauci , obscuris orti natalibus , egeni , litterarum expertes , ac sine conquisitis ornamentis Evangelium praedicantes ; Evangelium , inquam , doctrinam continens tam sublimem , ac tam ab humano captu remotam ; tum vetantem opes , honores , delicias , et praecipientem rerum mundanarum contemptum , suppliciorum, ipsiusque mortis tolerantiam? Quid praestassent penes et Judaeos , et gentiles , quorum alii humana sapientia inflati , alii rerum omnium rudissimi , plerique libidinibus, vitaeque in omnem licentiam projectae assueti, omnes autem suae religionis, cui il-

 li

(1) *Epiſt. Eccleſ. Smyrnens. ad Eccl. Ponti apud Euſeb. lib.* 4. *Hiſt. cap.* 15. (2) *Lib.* 5. (3) *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 18.

li novae doctrinae praedicatione adversabantur, tenaces quammaxime, ut de Hebraeis non minus (1), quam de Gentibus (2) notum est? Quid tandem praestassent contra Imperatorum, et Magistratuum decreta novam hanc doctrinam sub paena capitis, atrocissimisque suppliciis proscribentia? Neque res intra minas stetit. Sublati sunt innumeri omnis aetatis, et conditionis homines non Romae dumtaxat, sed in toto, qua late patebat, Imperio. Id enim tot constat et historicis, et Actis, et monumentis aere, vel marmore sacratis, ut, si quis inficietur, humano sensu destitutus dicatur aporteat. Quare ajebat Tertullianus (1) „*Sic itaque nos ungulae fodiant, cruces suspendant, ignes lambant gladii guttura detruncent, bestiae insiliant; paratus est ad omne supplicium Christianus* „. Quid his omnibus effectum? Nimirum Christianorum numerus augebatur. Id autem cui tribuendum? An fanatico cuidam furori? At quomodo tot simul homines natione, aetate, affectionibus differentes corripuit hic furor? An stupori cuidam, et insanae mentis pervicaciae? At quis ita stupidos putet homines

(1) *Joan. cap.* 12. *v.* 39. *et seqq. tum alibi.* (2) *Josephus cont. Apion. lib.* 2. *Dio lib.* 52. *et Cic. in Ver.* (3) *In Apolog.*

nes sapientiae laude clarissimos, omni virtutum genere conspicuos? An immoderatae gloriae cupiditati? At quid tum magis probrosum, quam nomen inter Christianos profiteri? Quum igitur nulli caussae alteri tribui id possit, restat, ut a vi veritatis, divina adjuvante virtute, profectum dicamus.

X. *Neque ullo pacto eadem Evangelica historia in dubium vocari potest auctoritate historicorum, qui aut id aetatis vixerunt, aut proxime sequuti sunt.*

Vel Hebraei sunt, vel Gentiles ii historici, quorum auctoritas hic proferri posset; iidem vero Evangelicae historiae contrarii dicuntur vel ob eorum silentium, vel ob narrationem rerum diversam a narratione Evangelica, vel tandem quia Evangelicas narrationes inficiantur. Verum ex nulla harum caussarum Evangelicam historiam historicorum coaevorum auctoritas elevare potest. Non silentio; namque imprimis de omnibus, quae in Evangeliis narrantur, tacuisse veteres illos, falsum est (prop. 7. et 8.); tum etiamsi tacuisse omnes demus, id efficere nequit, ut Evangelicorum historicorum fides enervetur, qui veracitatis characteribus omnibus sunt praediti (prop. 6.), et quorum idcirco qui testificationem non aliam ob causam refellit, quam quod

eas res non omnes alii quum Judaei, tum Pagani historici narrant, is una opera omnem vetustatem eversum iri vult. In historia Graeca sunt, quae narrat Herodotus, quae tamen tacet Thucydides, aut quae retulit Thucydides, silet Xenophon. Pariter in latina plura narrat Svetonius, silet Tacitus. Num propterea haec inter falsa, aut dubia sunt referenda? Hinc imperite simul et impie falsa dicuntur (1) quae habet Matthaeus de Magorum adventu (2), deque infantium Bethlehemiticorum caede (3), quae narrat Joannes (4) de prodigiosa Hierosolymorum piscina, quaeque scribit idem Matthæus (5) de reditu plurium mortuorum ad vitam in obitu Christi; idque ideo quia de his tacet Philo, Josephus, et alius quilibet. Neque inde elevari potest Evangelica historia, quod iis narrationibus adversetur, quas aut ejus, aut sequentis aetatis historici ad nos demandarunt, quum potius, ut demonstratum est, cum iis mirifice consentiat, et imprimis cum enarratis a Flavio Josepho, qui praeter ea, de quibus disseruimus supra, memorat Pontium Pilatum, Quirinum seu Cyrinum, Cai-

(1) *Ab Auctore praesertim Bibl. explic. Tom. 2. in Epilog. hiſt. 4. Evang.* (2) *Cap.* 2. (3) *Ibidem* (4) *Cap.* 5. (5) *Cap.* 27. *v.* 52. *et* 52.

Caipham, Joannem, Alexandrum, et alios (1), de quibus sermo est in Evangeliis. Nec refert, quod Cyrinus a Josepho (2) dicatur fuisse praeses Syriae decem circiter annis post tempus a Luca designatum in referenda descriptione universi Orbis, mandante Caesare Augusto (3); nil enim prohibet, quominus vel dicamus a Cyrino duplicem factum fuisse censum, primum per extraordinariam legationem, huncque commemorare Lucam, qui hanc sententiam firmare videtur inquiens ,, *haec descriptio prima facta est etc.* ,, alterum per ordinariam, huncque designare Josephum; vel eandem unicam descriptionem coeptam sub Quintilio Varo, sub Cyrino absolutam fuisse, eamque idcirco Praesidis Cyrini vocasse Evangelistam, affirmemus. Qui vero primi Christianos impetivere, eorum nullus inficiatione, sed tantum hoc duplici argumentorum genere; nimirum magicae artis vi Christum miracula patrasse objiciebant (4) alii, alii confictas subduxere personas, easque scenice ornarunt (5). Utrique tantum abest, ut ullam vim Evangelicae historiae inferre pos-

(1) *Vide postremos lib. Antiq.*, *et de Bell Iud.*
(2) *Antiquit. lib.* 17. *cap.* 4. 7. *et* 12. (3) *Cap.* 2.
(4) *Apud Origenem lib. cont. Celsum.* (5) *Apud Eusebium lib. cont. Hierocl.*

possint, ut mirifice firment. Nec enim illi magnum fecissent Christum, nisi ex publica, certaque persuasione miraculorum, quae ediderat; neque isti simias induxissent, nisi, ut quae inficiari non poterant, tergiversari posse in plures vulgata crediderint.

XI. *Quae narrantur in Evangeliis mirabilia a Jesu Christo edita vera miracula fuerunt.*

Talia a Cristo mirabilia patrata narrantur in Evangeliis, ut, et quo ad *substantiam*, utajunt, et quoad *modum* considerata, vel contumacibus fidem faciant, eadem vera fuisse miracula, nonnisi scilicet Dei virtute patrata. *Quoad substantiam*, inquam; ea enim naturam omnem, omnesque naturae vires superant: talia sunt conversio aquae in vinum (1), panum et piscium multiplicatio (2), mortuorum etiam quatriduanorum resuscitatio(3), desperatorum morborum sanationes, cæcorum scilicet a nativitate (4), et paralyticorum per plurimos annos (5), impe-

(1) *Joan. cap.* 2. *v.* 7. *et seq.* (2) *Matth. cap.* 14. *et* 15. [3] *Matth. cap.* 27. *v.* 52. *Marc.* 5. *v.* 41. *et seq. Joan. cap.* 11. *v.* 43. *et seq.* [4] *Matth. cap.* 8. *v.* 30. *et cap.* 20. *v.* 34. *Mar. cap.* 8. *v.* 25. *et cap.* 10. *v.* 42. *Joan. cap.* 9. *v.* 7. (5) *Matth. cap.* 9. *v.* 7. *Luc. cap.* 5. *v.* 25.

perium in Daemones (1), etc. Quoad *modum* vero, utpote summa confidentia, solo verbo, sine hæsitatione, anxietate, labore perpetrata. Sed eorum aliquot exempli loco paulisper expendamus. Equidem panum et pisicum multiplicatio genus est creationis, quæ non hominum tantum vim, sed et totius naturæ superat; a Christo bis peracta tamen est, et modo penitus divino. Et primo quidem (2): „*Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: desertus est locus, et hora jam praeteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: non habent necesse ire: date illis vos manducare* „. Est hoc cum discipulis ludere velle, quos sciebat nihil habere tantum, quo turbæ saturari possent: erant enim „ *quinque millia virorum, exceptis mulieribus, et parvulis* „ (3). Itaque Discipuli „ *responderunt ei: Non habemus hic, nisi quinque panes, et duos pisces*„. Quis ad hæc non expavisset in tanta famelicorum hominum copia? Non expavit tamen Jesus, qui more suo tranquille „ *ait eis: Afferte mihi illos hic* „. Quid facturus? Quinquene panes,

---

[1] *Matth. cap.* 8. *v.* 16. *et v.* 31. *cap.* 9. *v.* 33. *cap* 12. *v.* 22. *cap.* 17, *v.* 18. *Luc. capp.* 4. 8. 9. 10. 13. (2) *Matth. cap.* 14. *v.* 15. *et seqq.* [3] *ibidem v.* 21.

nes, et duos pisces tantæ turbæ dividet? Videamus. Præcipit turbæ, ut discumbant: tum accipit quinque illos panes, et duos pisces. Nempe potentiæ suæ conscius erat; alioquin insanire oportebat, qui integram gentem ludibrio habere vellet. Jam aspicit in cœlum, benedicit, frangit, dat Discipulis, Discipuli turbis: „ *Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos*„. Quem hæc non illacrymare cogant præ lætitia? Pari pacto idipsum secundo actum est (1); atque ea via est, et ratio, qua Christus omnia sua miracula efficiebat: Sic rogat Leprosus, an velit sanare: „ *Velo*, inquit: *mundare: et mundatus est*„ (2): *Centurioni, Vade, et sicut credidisti fiat tibi: et sanatus est puer in illa hora*„ (3): tetigit manus Socrus Simonis „ *et reliquit eam febris* „ (4): Paralytico ait „ *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam; et Surrexit* „ (5). Imperat mari, et placatur (6). Ficui maledicit „ *et arefacta est continuo ficulnea* (7). Mortuo ait „ *surge: et resedit*

[1] *Matth. cap.* 15. *v.* 32. *seqq.* [2] *Matth. cap.* 8. *v.* 3. [3] *Ibidem v.* 13. [4] *Ibidem v.* 15. (5) *Ibidem cap.* 9. *v.* 6. (6) *Idem cap.* 8. *v.* 26. [7] *Idem cap.* 21. *v.* 19. [7] *Luc. cap.* 6. *v.* 14. *et seq.*

sedit, qui erat mortuus, et coepit loqui,, (1). Mitto cætera. Rerum igitur natura Christo obsequebatur; natura autem nullius, nisi Dei imperio parere potest.

XII. *Miracula a Jesu Christo edita veritatem doctrinae ab ipso traditae invicte demonstrant.*

Quum enim vera miracula nonnisi a Deo esse possint naturæ auctore, si quæ vera miracula patrata sint in confirmationem alicujus doctrinae, ejusdem doctrinae jam testem habemus Deum ipsum. Deus autem nec falli, nec fallere potest. Utrumque enim sua cum perfectissima natura pugnat, ut nemo, nisi aut stupidus, aut omni captus mente, non intelligit. Miracula porro a Christo edita ad confirmandam doctrinam ab ipso traditam directa sunt: rogatus siquidem a Judaeis, num Christus esset? Respondit (1),, *Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me*,, et rursum [ ],, *Si mihi non vultis credere, operibus credite*,, Discipulis vero Joannis (1),, *Euntes renunciate Joanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*,, Hinc errant Incredu-

[1] *Joan. cap.* 10. *v.* 25. (2) *Ibid. v.* 30. [3] *Mat.* 11. *v.* 4. *et* 5.

duli (1) contendentes, ad Religionis veritatem miracula neque necessaria, neque utilia esse.

XIII. *Quae enim jactantur prodigia edita in confirmationem falsae doctrinae vera miracula non fuisse, notum est.*

Impossibile enim est, pugnatque cum Divina Veracitate, et Providentia, veris miraculis homines in errores induci; quum siquidem ea nonnisi a Deo esse possint, a Deo ipso hujusmodi errores forent repetendi. Quod si Christus „ *Surgent*, inquit (2), *pseudo Christi, et pseudo Prophetae, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi* „: non adserit falsos hujusmodi prophetas vera miracula edituros fore, secus et ipsi electi in errorem inducerentur; sed tantum admonet, eos esse venturos, qui suos errores factis quibusdam, quæ ignaro vulgo miracula videbuntur, comprobare curabunt. Hoc idem innuit Moses similia Judæis proferens (3). Hinc patet, neque Magorum Pharaonis prodigia (4), neque Ethnicorum miracula tam decantata Deistarum (5) caus-
sæ

[1] *Colinus Pensèes philos. pens.* 50. *Rouſſeavius lettres de la Montagne lett.* 3. [2] *Matth. cap.* 24. *v.* 24. [3] *Deuteron. cap.* 13. *v.* 1. [4] *Exod. cap.* 7. 8. *et* 9. [5] *Colin. Pensèes philos.*

sæ favere posse. Scilicet illa Deus seu occulta naturae arte, seu Dæmonis ope, seu potius ipse occultam vim suppetens permisit, non in erroris gratiam, quin imo in gratiam veritatis, ut ex colatione cum miraculis Mosaicis vera intelligeretur Divinitas; quod perspicuum est ex ipsa Mosis narratione. Quod vero fertur de Ethnicorum miraculis, nititur vulgatis, et antiquis rumoribus, quos posteriores Historici Herodotus, Diodorus Siculus, Philostratus, Plutarchus, Livius, Tacitus, collegerunt; quibus propterea quæ fides sit adhibenda, nemo ignorat. Pleraque etiam eventa fortuita, aut quorum causas ignorabant, antiqui inter miracula retulerunt. Itaque Cicero (1) veterum Romanorum miracula aut ridet ut fabulas, et rumores vacuos, aut ad caussas naturales refert. Rident quoque sæpe Livius, et Tacitus, nec raro Plutarchus. „ *Hæc ergo*, inquit S. Augustinus (2), *atque alia hujusmodi, nequaquam illis, quae in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt: quanto minus ea, quæ illorum quoque populorum, qui tales Deos coluerunt, legibus judicata sunt prohibenda atque plectenda, magica scilicet, vel theurgica? Quo-*

---

[1] *De Nat Deor. et de Divinat.* (2) *De Civ. Dei lib.* 10. *cap.* 16.

rum pleraque specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est Lunam deponere, donec suppoſitas, ut ait Lucanus, propior despumet in herbas: *quaedam vero etſi nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc noſtra oſtendit excellere* „ .

C A P U T V I.

De Evangeliorum Integritate.

1. *Sacra Evangelia, quemadmodum a suis Auctoribus fuerant conscripta, ad nos usque incorrupta devenere.*

Sacra namque Evangelia statim ac ab Evangelistis exarata fuere, ceu eorundem genuina opera Ecclesiae Apostolicae primo, deinde caeterae omnes receperunt, constanterque usque nunc retinuerunt (Cap. IV. prop. 14.), iisque continuo, et propalam utebantur, tum ad haereticos revincendos, depellendosque suborientes errores (1), quum ad fidelium instructionem, ac in fide confirmationem (2). Id autem omnem cor-

(1) *Tertullianus cont. Marcion. lib.* 4. *cap.* 5.
(2) *Ibidem de Praescript. cap.* 36.

corruptionis suspicionem aufert omnino; adeout sicuti Ecclesiarum Apostolicarum constans testimonium infallibilis regula vel ab initio fuerit, qua genuina a spuriis, et aprocryphis Evangeliis distnguereutur(ibidem prop. 15.); ita et infallibilis regula dici debeat, qua sincera, et incorrupta, a corruptis, et depravatis Evangeliis secernerentur; non enim a se invicem haec duo maxime distant. Deinde si Evangelia, quibus nunc utitur Catholica Ecclesia conferantur cum antiquiorum Patrum, et Theologorum Commentariis, id inde intelligetur, quod quaecumque illi veteres ex libris Evangelicis citant, ea eadem in nostris leguntur, si paucas variantes lectiones, aut Amanuensium excipias errata, quae rei substantiam non attingunt, ut paullo post ostendemus. Ac ea, quae veteres illi Patres, et Theologi describunt Evangeliorum loca, tot sunt numero, ut si in unum colligantur, ac ordine suo componantur, integra conflatura sint nostra Evangelia (1). Quid proinde evidentius, quam praesentes Evangeliorum libros eosdem esse, ac eos, quos ab Evangelistis recepit Ecclesia, ab eaque incorruptos penitus usque hodie fuisse servatos?

(1) *Vide Millium Proleg. Nov. Teſt.*

II. *Etenim Evangelia nunquam in Ecclesia interpolari, et depravari potuerunt.*

Quandonam siquidem id fieri, quaeso, potuit? Viventibus adhuc Evangelistis, et Apostolis? Minime sane; ipsi enim auctores vehementer repugnassent. Hinc Apostolus Joannes sub primi saeculi fine praecedentium Evangelistarum libros ceu sinceros et incorruptos approbavit (1). An iis vita functis? Nequidem; eo quippe tempore jam in omnibus fere tunc extantibus Ecclesiis pervulgata erant (Cap. III. prop. 1); unde, præter quam quod de Apostolorum discipulis „ *qui*, ut ait Eusebius (2), . . . *admirabiles plane, ac divini, Eccleſiarum fundamenta, quæ variis in locis Apoſtoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt; prædicationem Evangelii magis ac magis promoventes, et salutaria Regni Cœleſtis semina per universum terrarum Orbem late spargentes* „ suspicari est nefas; nonne omnes omnino Ecclesiæ, nullis reclamantibus, in adoptandis interpolatis, in rejiciendis sinceris exemplaribus convenire debuissent? Id autem quomodo fieri potuit? Hinc multo minus successu temporis libros Evangelicos corru-

(1) *Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 24. et Hieronymus de Scriptor. Eccl. in Joan.* (2) *Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 27.*

ruptos fuisse possibile est. Deinde qui unquam dici poteruntEvangelicorum librorum corruptores? Anne Pagani? At quid eosintererat Evangeliorum corruptio? Cur quæ eos magis revincunt, miracula non expunxerunt? Cur quæ ab eorum calumniis Christianos vindicant, honestae, intemerataæque vitæ præcepta, sanctæque Religionis dogmata non fœdarunt? Christiani, qui Sacrorum Librorum traditioni ad internecionem (1) usque resistebant, eorumdem ne corruptionem permisissent, vel adoptassent? Anne Judæi? At cur et miracula, quibus obcæcatæ obstinationis revincuntur, et objurgationes, quibus hipocrysis, et prævaricationis passim arguuntur, ipsi non extriverant? Insuper et ipsis nonne cumChristianis in re tanti momenti agendum erat? Anne Hæretici? At nonne id semper cautum est ab Ecclesia (2)? Anne Catholici? At horum unus vel alter id præstitit, an vero omnes simul? Utrumque absurdum. Primum quidem; nam cæteri omnes obstitissent, semperque obstiterunt (3). Secundum

(1) *Eusebius hiſt. Eccles. lib. 8. cap.* 2. (2) *Vide Epiphanium adv. haeres. Tertullianum cont. Marcion. Auguſtinum contra Fauſt.*(3)*Sozom. hiſt. lib.* 1. *cap.* 11. *Auguſt. Epiſt* 71. *et* 82. Hieron. *Epiſt.* 75. *inter Aguſt.* 221.

dum vero, quia nunquam omnes simul in re tam execranda convenissent (1).

III. *Non enim Evangeliorum integritati officiunt eorundem diversorum codicum variantes lectiones.*

Postquam protulerit Collinus (2), triginta millia variarum lectionum numerari a Westenio (3), de Evangeliorum depravatione sibi triumphare videtur. Sed cujus sunt generis hæ variantes lectiones? Sententiarum ne, an verborum? Prioris generis variationes, saltem in iis, quæ fidem, et mores spectant, nullas esse in Evangelicis libris, vel ex eo perspicuum est, quod nullæ hucusque ejus generis produci a Deistarum diligentissimis potuere. Posterioris igitur generis sunt: tamen quid Evangeliorum integritati officiunt, quando sententiæ perstant incorruptæ? Perstant vero, ut fatetur Kunsterus ipse (4), et ex Millio (5) nemo est qui non statim intelligat. Sed terret quosdam numerus triginta millium variantium lectionum, nempe totius rei, de qua agitur, imperitos. Hic enim numerus totus conflatus est et ex omnibus pal-

(1) *Vide* Houttevillium *la* Religion. *Chrètoenne lib.* 1. *cap.* 12. (2) Libertè *de panser.* (3) *In praefat Nov. Teſt.* (4) In *Praefat.* N. *Teſt.* (5) *Nova Edit. N. Teſt.*

paullo antiquioribus Codicibus, et quidem non Evangeliorum tantum, sed totius Novi Testamenti, quum editis, tum manuscriptis, et ex meris grammatices variationibus. At mirum esse non debet, tot in iis Amanuensium menda reperiri, quum per XIV. sæcula, in quibus ars Typographica ignota fuit, infinities propemodum Codices sacri fuerint descripti, nec semper ab accuratis, et doctis librariis(1). Ex his porro Codicibus manuscriptis, magna ex parte privatis, et recentioribus, totus ferme variantium lectionum numerus collectus est. Nam ii Codices, qui ut exemplaria in Ecclesiis habiti sunt, quosque solos hic considerare debemus, admodum exiguam variarum lectionum copiam suppeditant. Atque hæ quoque variationes, si cum veteribus commentatoribus conferantur, facile emendari possunt, uti Kunsterus juxta, et Millius agnoscunt [2]. Quare hæ variantes lectiones obstare minime potuere, quominus Ecclesia Catholica, colatis pluribus antiquis exemplaribus, et Patrum commentariis, emendatissimam nobis daret authographorum editionem [3].

 IV.

(1) *Vide praefat Kunſter. ad edit.* Lipſien. *N.Teſt. Millii.* (2) *Loci. sup. cit.* (3) *Vide S. Auguſt. de utilit. creden. cap.* 3.

IV. *Imo ne officiunt quidem Evangeliorum integritati, quæ ex illis citant Veteres Patres, quæque in iisdem vel nunc non extant, vel ab iis, quæ nunc leguntur, sunt diversa.*

Siquidem illi veteres Patres sæpe memoriter sententias Evangeliorum citare solent, nec semper loca consulere, quum scribunt. Id constat ex eo, quod plerumque solis verbis ab Evangeliorum sententiis discrepent, ut ex earum colatione quisque intelliget [1]. Quandoque illorum Patrum testimonia non sunt, nisi meræ animi relationes ad Evangeliorum sententias; quod ex eo perspicuum est, quod illas propriis uniunt, atque contexunt, ut videre est apud S. Clementem Romanum [2] præsertim, et in Epistola S. Barnabæ tributa [3]. Sæpe etiam antiqui illi Patres sententias quasdam, quæ ex traditione tantum habentur, velut Scripturam citant, non dubitantes, idem utramque habere pondus. Observatum id Clerico [4], confirmatumque ex eo, quod illarum sententiarum fere omnes æquivalenter in Evangeliis contineantur, iisque nullæ sint adversæ. Consulantur apud Grabe [5], et Fa-

(1) *Vide Houttevillium la Religion. Chrètienne lib. 1. cap. 7.* (2) *Epiſt. 2. ad Corinth.* (3) *num. 4. et 7.* (4) *Ad Hammondum in Matth. cap. 11. v. 23.* (5) *In Spicilegio Tom. 1. pag. 12. et seqq.*

Fabricium (1). Quid ergo mirum si in Evangeliis non extant?

V. *Quare corrupta, et depravata aliquando fuiſſe Evangelia, quibus Eccleſia utitur, eſt omnino falsum*.

Vel primis Ecclesiæ temporibus Christianos accusabat Celsus de Evangeliorum interpolatione; ajebat enim (2) „ *Quidam fidelium, quaſi per tumulentiam, permittunt ſibi quidvis in permutanda Scriptura Evangelica tribus modis, quatuorve, aut pluribus, ut ſic retracta poſſint negare, quoties arguuntur* „. Verum hæc Celsi accusatio Hæreticos impetit, qui quidem exemplaria quædam Evangeliorum depravarunt „ *quo accommodarent eloquia Domini male compoſito phantasmati* „ ut de Valentinianis loquitur Irenæus (3), et ut conqueritur tum ipse de Gnosticis (4), tum Origenes (5), et Tertullianus (6) de Marcionistis, tum de aliis Eusebius (7); neque enim Ecclesia, quæ in accurandis libris sacris diligentissima semper fuit, ut pluries notatum est, corrupta ab Hæreticis Evangelia unquam ado-

(1) *De lib. Apocryph. N. T. Tom.* 1. *pag.* 321. *et Tom.* 3. *pag.* 394. (2) *Apud Origenem lib.* 2. (3) Lib. 1. *cap.* 1. (4) *Lib.* 3. *adv. haeres. cap.* 1. (5) *lib.* 2. *cont. Cels.* (6) *Lib.* 4. *cont. Marcion. cap.* (7) *Hiſt. Eccles. lib.* 7. *cap.* 24.

adoptavit, iisque usa est; sed quæ primo acceperat, semper retinuit [Cap. IV. prop. 14.). Hinc Origenes Celsum refellens ajebat (1) „ *Equidem a nemine alio mutatum Evangelium scio, præter quam a Marcionis, et Valentini, et fortaſſe Luciani discipulis: quod crimen non est Evangelii* (idest Ecclesiæ), *sed eorum, qui id auſi sunt depravare temere* „ .Sæculo autem VI. Anastasii Imperatoris jussu depravata fuisse Evangelia volunt recentiores Deistæ (2). Id vero sic nituntur probare. Hæc narrat Victor Turonensis Episcopus Africanus (3), „ *Meſſala Consule, Anaſtaſio* Imperatore *jubente Sancta Evangelia, tanquam ab idiotis Evangeliſtis compoſita, reprehenduntur, et emendantur* „. Eadem habet Isidorus Hispalensis (4). At primum dato, quod isti sibi blandiuntur, violentas manus Evangeliorum Codicibus Anastasium injecisse; id profecto non magis everteret eorum Codicum, quos nunc habemus, integritatem, quam conatus Hæreticorum, de quibus mox dicebamus. Ecclesia enim non illo Anastasii Codice usa de

(1) Lib. 2. *Cont. Cels.* (2) *Collinus liberté de penser.* (3) *In Chronico Ingolſtadii edi an. 1600. tum a Scalige. ad Chron. Euseb.* [4] *In Chron. edi. Parisis 1607.*

deinceps fuit, sed eo, quo prius ut ebatur; quod facillime demonstrari potest conferendo, quos nunc habemus, Evangeliorum Codices cum Patrum Anastasio antiquiorum Commentariis, quod Millius copiosissime egit [1]. Deinde factum istud non Evangelias, sed illud tantum Apostoli dictum [2] „ *quod manifeſtatum eſt in carne* „ respicit, utpote a Macedonio depravatum, quemadmodum testantur Liberatus Diaconus (3), et Hincmarus [4]; notum siquidem est, apud Veteres Evangelii nomine quoslibet Novi Testamenti libros designari: sic hoc nomine Epistolam ad Corinthios S. Clemens Romanus (5) vocat, præstantque idipsum Origenes (6), S. Joannes Chrysostomus [7], S. Atanasius (8), et alii. Fortasse etiam, quia Anastasius Acephalorum præsertim hæresi addictus erat (9), facti illius occasione inde rumor enatus est, injiciendas manus in sacros Codices præcepisse, quem idcirco spectent Victor, et Isidorus.

VI.

(1) *In proleg. ad Nov. Teſtament.* (2) *Ad Timoth.* 1. *cap.* 3. *v.* 16. (3) *Breviar. cap.* 19. (4) *Opusc lib.* 5. *cap.* 18. (5) *Epiſt. ad Corinth. n.* 7. (6) *Tom.* 6. *in Matth.* (7) *Homil.* 68. *in Matth.* (8) [*Pro fuga sua Tom.* 1. *pag.* 707. (9) *Marcellin. victor. Tau. Chron. Evag. lib.* 3. *cap.* 24.

VI. *Imprimis igitur non fuit aliena manu Evangelio Matthæi adjecta Christi Genealogia* .

Hanc respuebant tanquam ab incerto auctore confictam Manichæi, quorum agmen ducebat Faustus, asserentes (1), Evangelium a prædicatione Filii Dei exordium ducere, atqua ideo Marcus Matthæi Evangelii abbreviator suum exorsus est Evangelium; idque confirmant ex quo in ea Genealogia usque ad baptismum Christi, Is nunquam Filius Dei dicatur: tum etiam ex quo, referente Matthæo ipso (2), neget Jesus se habere genus in terris. Cæterum S. Augustinus (3), Christi generationem secundum carnem ad Evangelium spectare, ostendit ex Apostolo ajente (4) „ *Memor esto, Christum Jesum resurrexisse ex mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* „ et rursum [5] de se „ *vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei . . . . qui factus est ex semine David secundum carnem* „. Atque propterea concludit S. Doctor, alia de caussa Genealogiam Christi Marcum prætermisisse. Deinde probat [5), S. Mathæum, ubi primum Salvatoris Genealogiam

(1) *Apud S. August. lib. 2. cap. 1. cont. Faust.* (2) *Cap. 12. v. 48.* (3) *Loc. cit.* (4) *Ad Timot. 2. cap. 2 v. 8.* (5) *Ad Roman. cap. 1. v. 1. et 2.* (5) *Lib. 23. cap. 5. cont. Faust.*

giam texuit, ipsum Fillium Dei statim appellare (1) iis Isaiæ (2) verbis „ *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiscum Deus* „. Tandem quærit S. Pater (3) a Manichæis, unde credant, se in terris habere genus, Jesum negasse? Si quia eum dixisse „ *Quæ mihi Mater, aut qui Fratres* „ refert Evangelista, cur huic non credunt, dum ait (4) „ *Mater ejus, et Fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei* „?

VII. *Neque ejusdem Evangelii Caput II. unquam fuit fraude intrusum.*

Post Anabaptistas integrum hoc matthæi Caput tanquam fraude intrusum venditant Deitæ (5), præcipue quod narrationes de Magorum adventu, deque Herodiana puerorum cæde inter aniles fabulas sint recensendæ, autument. Verum de neutrius harum narrationum veritate dubitari non posse, satis evincunt quæ superius attigimus (Cap. V. prop. 4. et seqq.), quoties eædem sint apographæ, et genuinæ partes huius Evangelii. Sunt vero. Primo enim

---

(1) *Cap.* 1. *v.* 23. (2) *Cap.* 7. *v.* 14. (3) *Lib.* 7. *cap.* 2. *cont. Fauſt.* [4] *Cap.* 12. *v.* 46. [5] *Collinus lib. de Fundament. et rationib. Christ. Relig. et Auctor Bibliae explic. in Epilog. hiſt.* 4. *Evang. Tom.* 2.

enim utramque narrationem habent veteres omnes Matthæi Codices [1]. Secundo utramque narrationem cum Matthæi Evangelio conjungit Orationis series, et stilus. Tertio denique utramque narrationem genuinam fatentur Veteres; primam quidem Tertullianus [2] præsertim, Origenes [3], Hilarius (4), Ambrosius (5), Chrysostomus (6), Hieronymus (7), Severus Sulpicius (8), et alii; secundam autem Justinus Martyr (6), Origenes (10), et, ut alios ommittamus, eandem describunt liturgici Æthiopum libri Græcorumque Calendaria.

VIII. *Neque aliud quidpiam Evangelio Matthæi adſutum eſt.*

Duo alia in Matthæi Evangelium aliena manu inserta precipue deprehendunt adhuc Deistæ (11). Primum est illud Christi (12) „ *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*,„. Etenim tunc temporis Christianorum Ecclesia nondum extabat; hæcque vox nonni-

---

[1] *Vide Millium nov. Edit. N. T.* [2] *Lib.* 4. *cont. Marcion. cap.* 13. [3] *Homil.* 3. *de diverſis.* (4) *Lib.* 4 *de Trinit.* (5) *Homil.* 1. *in Epiph.* (6) *Homil. de Salvat. Nativ.* (7) *In cap.* 2. *Daniel.* (8) *Hiſt. lib.* 2. *cap.* 12. [9] *In Dialog. cum Tripb.* [10] *Cont. Cels.* (11) *Auctor. Bibl. Explic.te Auctor Eleopolit.* (12) *Matth. cap.* 18. *v.* 17.

nisi diu postmodum invecta est. Alterum est illud item Christi (1) „ *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, et altare* „. Namque hanc Zachariæ caedem diu post Christi ressurrectionem, ac etiam eodem Evangelista jam vita functo, accidisse, colligitur ex Josepho (2). Ita Deistæ; inani tamen conatu. Sane quemadmodum ad consuetudinem Hebræorum, qui Ethnicorum, et Publicanorum conversationem vitabant; ita ad aliam eorundem consuetudinem, qua criminosos, eorumque peccata in Synagoga publice vulgari solebant, Christus prioribus illis verbis respexit, docens modum exercendæ corretionis in sua Ecclesia, quæ, licet adhuc non esset constituta, erat tamen constituenda. Ubi advertendum vocem *Eccleſiæ* non Matthæi, sed Interpretis esse. Posterioribus autem verbis notatus Zacharias cur filius Baruchi, de quo Josephus, sit intelligendus, non video; namque iste *in medio Templo*, Josepho teste (3), fuit trucidatus, ille vero in atrio *intertemplum*, *et altare*; ex al-

(1) *Matth. cap.* 23. 2. 35. (2) *De Bello Iudico lib.* 5. *cap.* 1. (3) *Ibidem*.

altera vero parte nonne binos legimus Zacharias multo antiquores (1), eosque filios Barachiæ ? Quid autem impedit quominus horum unum in atrio cæsum, eumque designasse Christum credamus ? Nonne legimus (2) alium Zachariam occisum, *in atrio Domus Domini* „ ? Erat hic non Barachiæ, sed Jojadæ filius; id tamen minime obstare, obstendit Hieronymus (3).

IX. *Nihil pariter est aliena manu Evangelio Marci inſertum*.

Varia congerunt post Anabastitas recentiores Deistæ (4), quibus Marci Evangelium depravatoris alicujus manus non effugisse probent. Insistunt vero præcipue Capiti ultimo, quod duodecim postremorum versiculorum additione vitiatum volunt, eo quod in plerisque exemplaribus olim deessent, tesantibus S. Gregorio Nisseno (5), et S. Hieronymo (6). Totum tamen integrum hoc Marci Caput, prout modo extat, in antiquissimis, et sincerioribus exemplaribus non fuisse desideratum, du-

[1] *Isaiae cap.* 8. *v.* 2. *et Zachariae cap.* 1. *v.* 1. (2) *Paralip.* 1. *cap.* 24. *v.* 51. (3) Lib. 4. *Comment. in cap.* 23. *Matth.* (4) *Auctor* Bib. *Explic. in Epilog. hiſt.* 4. *Evang.* (5) *Orat.* 2. *de Resurect.* [6] *Epiſt. ad* Hedibiam *q.* 3. *et lib.* 2. *Dialog. adver. Pelag.*

ducentis, et amplius annis ante Nissenum, et Hieronymum, nimirum sub fine Sæculi II. aperte colligitur ex Irenæo tunc temporis scribente (1) „*In fine autem Evangelii ait Marcus: Et quidem Dominus Jeſus, poſtquam loqutus est eis, receptus eſt in cœlos, et ſedet ad dexteram Dei* „. Idipsum colligitur ex S. Atanasio, qui eosdem versiculos ratos habet (2), atque ex S. Augustino, qui in iisdem Marcum aliis Evangelistis non contradicere ostendit(3). Colligitur tandem ex vetustis ferme omnibus Marci Codicibus Grecis, et Latinis, Syro, Arabo, cæterisque Versionibus Orientalibus, in quibus versiculi illi duodecim leguntur (4).

X. *Tria priora Lucæ Capita ejus Evanglii sunt veræ, et genuinæ partes in nullo vitiatæ.*

Eadem Capita vel tanquam spuria resecant a Lucæ Evangelio, vel tanquam interpalata venditant Marcionitæ (5), quorum temeritatem sacrilegam Joannes Bodinus secutus est (6). Inquiunt propterea, Evangelium istud initium sumere a

I Ca-

(1) *Lib.* 3. *adver. haeres cap.* 11. [2] *In Synopsi* (3) *Lib.* 3. *de consens.Evang. cap.* 4. (4) *Vide Ceillerium Hiſt. Auctor.Eccles. Tom* 1. *pag.* 352. (5) *Apud Tertullianum lib.* 4. *cont. Marcion.* (6) *Lib.* 5. *de. Abditis rer sublim. arcan.*

Capite III., quod ejus tenoris sit ,, *Anno quintodecimo imperiiTiberii Cæsaris* ,,. Quæ quidem ratio quam infirma sit, nemo ignorat, cui compertum sit, verbum illud *autem* cum antecedentibus connexionem aperte indicare; atque eruitur ex Tertulliano,qui praecedentiumCapitum authenticitatem probat (1). Deinde idem Caput III. interpolatum volunt, quod in generationibus, a diluvio ad Abraham usque, Arphaxad inter et Sale Cainan interponatur (2), qui tamen deest in textu Hebraico Genesis (3), et Paralipomenon (4), quibus concordant Paraphrasis Caldaica, atque Vugata Editio. Notum est tamen Eruditis, S. Lucam Septuaginta Interpretum versionem, in qua inter Arphaxad, et Sale Cainan Legebatur, sequutum fuisse; quæ quidem versio, quum tunc temporis communior esset, communior quoque de Cainanis existentia esse debuit opinio, quam idcirco retinendam judicavit Lucas; ,, *Consuetudinis namque Scripurarum est*, *inquit Hieronymus* (5), *ut opinionem multorum sic narret historicus, quo modo illo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph*

---

[1] *Loco cit* [2] *v.* 36. [3] *Cap.* 10. *v.* 24. [4] *Lib.* 1. *cap.* 1. *v.* 18. [5) *Comment. in Cap.* 4. *Matth.*

ſeph ab ipſa quoque Maria appellatur Pater Jeſu ; ita et Herodes dicitur contriſtatus quia hoc diſcumbentes putabant „ .

XI. *Nihilque eſt in cæteris Capitibus ejuſdem Evangelii Lucæ invectum .*

Quod præſertim reliquo Lucæ Evagelii volunt aſſutum Heterodoxi (1) eſt hiſtoria de ſudore Chriſti ſanguineo , et Angeli appaparitone ad eum conſolandum : quam a pluribus Codicibus cum Græcis , tum Latinis olim abfuiſſe , teſtantur S. Hiarius (2), et S. Hieronymus (3) . Cæterum hiſtoriam illam genuinam probant Codicum omnium , qui nunc extant tum Græcorum , tum Latinorum , necnon Syriacorum , et Arabicorum conſenſus , atque ut genuinam tenent S. Juſtinus (4) , Irenæus (5), Athanaſius (6), Epiphanius (7), S. Auguſtinus (8) , aliique . Eatenus autem in nonnullis Codicibus deerat antiquitus , quia ex illis præpoſtero zelo eraſa a quibuſdam Catho-

[1] *Syri quidam apud Photium Epiſt.* 138. *et Armeni haeret. teſte Nicon. apud Coteler. in lib.* 2. *cap.* 4. *Conſt. Apoſt.* [2] *Lib.* 10. *de Trinit. cap.* 41. [3) *Dialog.* 2. *advers. Pelag.* [4] *Dialog. cum Tripho. pag.* 331 [5] *Lib.* 3. *adv. haeres. cap.* 32. *nunc* 24. [6] *Lib.* 6. *ad Theophilum , qui eſt de Beatitud. Filii Dei.* [7] *In Ancborato* 9. 31. [8] *Lib.* 3. *de conſens. Evag. cap.* 4.

tholicis fuit, ne scilicet ea abuterentur hæretici, ut conqueritur S. Epiphanius (1). Quare locum illum Episcoporum auctoritate expunctum fuisse, falso suspicatur Grotius (2).

XII. *Tandem Joannis Evangelium nullibi interpolatum eſt.*

Duo Evangelio Joannis inserta præcipue habent Hæreticorum quidam (3). Primum est quod de languido ad piscinam jacente, et Angelo eandem exagitante narratur (4), eo quod nihil de ea habeat Josephus, aut alius Judæus Scriptor. Alterum est quod actum a Christo describitur (5) cum muliere adultera; nam deest ista narratio in pervetustis Codicibus Vaticano, et Regiæ Bibliothecæ; in antiquissimo autem Codice Patrum Oratorii Parisiensium legitur assuta. Hinc ex apocrypho Nazaræorum Evangelio, in quo, teste Papia (6), legebatur, in illud Joannis translatam existimat Grotius (7) cum aliis. Attamen utramque narrationem tanquam genuinum Joannis opus esse admittendam, facile est demonstratu. Et quod ad Piscinam attinet, ejus historiam

---

[1] *Loc.cit.* [2] *In cap. 19. Luc.* [3] *Ebionitae et alii* [4] *Cap. 5. v. 3. et seqq.* [5] *Cap. 8. v.3. etseqq.* (6) *Apud Eusebium hiſt. lib. 3. cap. 39.* [7] *In cap. 8. Joan.*

riam habent omnes Codices ; ut mirum sit, de ejus sinceritate potuisse aliquem dubitare. Quid enim si nihil de ea est in veteri Testamento? Longe enim post tempus, in quo Machabæorum historia desinit, incepit illius prodigium (1). Quid si nihil de ea in Josepho, aut in aliis Hebræis Scriptoribus? Ille plura alia silentio præteriit, quæ tamen verissima sunt; cæteri vero Josepho solertiores, et coævi nulli sunt. Quamquam piscinam probaticam prope Templum extitisse compertum est (2), describiturque sub nomine *Stagni Salomonis* ab Aristæa, eamque post Jerosolymæ excidium, ædificiis, quibus cingebatur, destitutam quidem, sed superstitem inter alios vidit Brocardus (3). Non urgentius invenimus, quod adstruitur adversus historiam alteram de muliere adultera; namque eam genuinam esse, fides sexdecim vetustissimorum Codicum, quos contulit Robertus Stephanus, omnium item, quos contulere Bibliorum Polyglottorum diligentissimi Editores Complutenses, et Anglicani, ipseque S. Hieronymus,

(1) *Adnotator Fraſſenii Disquis. Bibl. tom.* 1 *lib.* 6. *not.* 61. (2) *Lib.* 6. *de Bello Judaic. cap.* 5. *antiq. edit.* (3) *In descript. Terrae Sanctae.*

mus, qui (1) fatetur in pluribus eam sua ætate extitiſſe Codicibus, teſtantur. His Veterum teſtimonium ſuffragatur, Ammonii Alexandrini (2), S. Athanaſii [3], Ambroſii [4], Chryſoſtomi [5], Auguſtini (6), quibus accedunt Verſiones Syriaca, Arabica, Perſica, et Ethiopica. Cur ergo ex Nazaræorum Evangelio in illud Joannis hiſtoriam hanc tranſlatam dicemus? Id eo minus profecto, quod mulier Papiæ *adulteræ* nomen non habet, multorumque criminum coram Domino accuſata dicitur; contra mulier, de qua Joannes, *adultera* vocatur, deque ſolo accuſatur adulterio.

XIII. *Nec poſtremum hujus Evangelii Caput aliena manu adjectum autumari poteſt.*

Totum hoc poſtremum Caput una cum duobus poſtremis e Capite ſuperiori verſiculis a Joanne abjudicatur, atque Epheſinae Eccleſiae opus ducitur a non nullis (7). Verum qua conjetura cenſent, geminos Capitis XX. poſtremos verſiculos Joannis opus non eſſe? Quia in iis de Joannis Evangelio tanquam de opere alieno ſermo eſt. Itane toti antiquitati eoſdem ver-

(2) *lib.* 2. *cont. Pelag. cap.* 6. (2) *In Harmonia.* (3) *In Synopſi.* (4) *Epiſt.* 58. *n.* 4. *lib.* 7. (5) *Homil.* 60. *in Joan.* (6) *Tract.* 33 *in Joan. et Lib.* 2. *de Adult. conjug. cap.* 6. *et* 7. (7) *Grotius ad cap.* 20. *et ult. Joan.*, *et Hamm. ad Le Clerc.*

versiculos tanquam genuinum Evangelistae opus recipienti hac conjectura, quam inanem probat vel ipse loquendi, scribendique usus non infrequens repugnare audent. Cur autem Caput XXI. aliena manu adjectum volunt? Quia postremis Capitis superioris versiculis satis apte Evangelium clauditur; tum etiam quia eodem postremo in Capite de Joanne agitur tanquam de aliena persona, et plurium nomine agitur (1). Et hæc inanes sunt conjecturæ. Primo enim cum ait Joannes (2) „ *Multa quidem, et alia ſigna fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc: Hæc autem scripta sunt ut credatis &c.* „ ad ea tantum respicit signa, quæ ad firmandam fidem discipulorum direxerat Christus, ut ipsa verba indicant. Quæ vero sequenti Capite adjecit, non illa eadem sunt æstimanda, quæ prætermisisse suo in libro jam affirmarat, sed alia, ob alium finem nimirum edita, quæque adjicienda censuit absolvendæ suæ historiæ caussa. Secundo notum est, non esse in Scripturis inusitatum, ut Scriptor de se in aliena persona loquatur. Hujus consuetudinis exemplum præbet vel ipse Joannes

(1) *v.* 24. (2) *cap.* 21. *v.* 30. *et seq.*

nes (1) de se scribens „ *Et qui vidit teſtimonium perhibuit , et verum eſt teſtimonium ejus . Et ille scit , quia vera dicit* „ . Tertio tandem non aliam ob rationem , quum sit unus , plurium personarum instar loquitur (2) „ *scimus , quia verum eſt teſtimonium ejus* „ nisi ut suum testimonium aliorum etiam , quorum de se judicium optime noverat , conscientia, eos veluti loquentes inducens, communiret (3) .

CAPUT VII.

De Evangeliorum Divina Inspiratione .

I. ***Divina , seu a Deo est Doctrina Evangelica .***

Doctrina Evangelica vera est (Prop. 12. Cap. V.): ergo divina , seu a Deo . Talis siquidem est indolis , et naturæ Evangelica Doctrina , sive quæ fidem , sive quæ mores spectat , ut hominis cujusque sibi relicti Sapientiam , ipsamque intelligendi facultatem omnino superet . Unus Deus , totus mens , trinus tamen Personis , seu hypostasibus;harum secunda a Prima genita , ab

(1) *Cap.* 19. *v.* 35. (2) *Cap.* 21. *v.* 24. (3) *Vide Cornel. a Lap. comment. in hunc loc*

ab utraque Tertia procedens; ipsaque Secunda sibi hypostatice humanam conjungens naturam per passionem, ac mortem et redemptionis, et gratiæ, et gloriæ humano generi sponsor effecta. Tum Dei unius numine, nutuque procreata omnia, conservari, gubernari; ipse non solum earum rerum inspector, et vindex, quae ob ocnlos sunt hominum, sed intimae animi cogitationis, appetitus, affectus: tota mente colendus: non profana numina: nemo nullis meritis inter æternum beatos cooptatus: compositum jus, fasque, atque intimi mentis recessus ei sacrata: incorrupti, atque irreprehensibiles mores; rectæ, justæ, sanctæque leges: nullum ordinis, nullum conditionis, nullum aetatis, nullum gentium discrimen, nisi quantum virtus meruerit: animo, animique dotibus pensari omnia; cætera, quæ gentibus adeo honorabilia videntur, atque in pretio sunt, apud Deum nihili æstimari. Deistas, atque incredulos nunc rogo, hominis ne hæc Religio sit, an Dei? Accedunt gratiarum, et gloriae promissiones, paenarumque comminationes, quæ, quum a solo Dei vel beneplacito, vel Decreto pendeant, ejus Revelationem invicte commonstrant. Tandem prophetiæ multiplices doctrinæ Evangelicæ insertæ

tæ (1), cui nam, nisi Deo, erunt tribuendae? Namque „ *Idoneum testimonium Divinitatis*, inquiebat Tertulianus (2), *veritas divinationis* „: quippe hominum nemo sibi notam habere futurorum cognitionem, Deo non revelante, gloriari ullatenus potest.

II. *Falsum est ergo, nihil aliud esse Christianam professionem, praeterquam naturae legem, eamque cum homine nasci.*

Id Julianus Apostata olim objectabat (3), idque est, quod Tindal (4), eumque recentiores Deistae secuti tam saepe jactant. Probare vero idipsum nituntur ex iis praesentim Christi verbis (5) „ *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae* „. Ad simplicitatem ergo naturae, inquiunt, nos revocat Christus. Tum hoc idem confirmant auctoritate veterum Christianismi Apologistarum Justini Martyris, Clementis Ale-

(1) *Vide Daniel. Huet. Dem. Evang. prop.* 9. *cap.* 29. (2) *Apolog. cap.* 20. (3) *Apud Cyrillum cont. Juli.* (4) *In opere inscripto „Chriſtianismus tam antiquus, quam creatio „ edit. an.* 1730. (5) *Matth. cap.* 22. *v.* 37. *et seqq.*

Alexandrini, Origenis, Arnobii, Minutii Felicis, Tertulliani, Lactantii, Eusebii quoque Caesariensis, aliorumque, qui in hoc unum tendunt, ut doceant, hanc esse Christianam Religionem, *unum Deum tota mente complecti, justitiam servare, humanitatem colere* „: eam qui servat, nulla temporum, vel locorum differentia, justum esse Christianum, ac beatum denique futurum (1). Sed cur Deistae tantopere Divinis Codicibus irascuntur? Cur illos risu, et jocis proscindunt? Aut enim nil aliud docent, quam quae illi vera existimant, quæque *naturae discipula ratio* (utar Tertulliani (2) verbis) de sinu suo promit: aut non ea tantum, sed sublimiora alia, et naturali rationi impervia, occultaque: si primum, satis constat, divinos esse illos Codices, quibus prima, et insita Dei traditio consentit. At si non ea tantum, quae est eorum ratiocinatio? Videlicet *a parte*, ut inquiunt Dialectici, *ad totum* putidum sophisma. Jam Christus amore Dei, et proximi totam justitiam comprehendi praecipit, quia scilicet ea sub-

(1) *Vide praecertim Tertullianum deTeſtim. Anim. et in Apolog. MinutiumFelic. in Octav.* (2) *Apolog. cap.* 17.

substantia est, id fundamentum et naturalis, et revelatae Religionis. Sed ut quid de Deo sentiamus, quidve ipsi, et hominibus debeamus, plene intelligamus, et postquam intelleximus, ut integre, et rite servemus, id a natura non esse, totum Evangelium, omnisque Christiana professio manifestat (Prop. Praeced.]. Hoc idem docent Veteres Apologistae; unde Justinus [1],, *hominis mentem*, ait, *quae non fuerit spiritu Sancto delibuta, atque exornata, nunquam pure ipsam per se ad Deum attingere, solamque Chriſtianam philosophiam certam esse, et utilem*,,. Sed clarius, fusiusque, veram sapientiam non esse, nisi a Deo, demonstrat Lactantius (2).

III. *In Evangelica Doctrina conscribenda fuerunt Evangeliorum Scriptores divinitus inspirati.*

Quum Evangelica doctrina divina sit, seu a Deo revelata, Deo inspirante conscripta necessario dicatur est opus. Siquidem illud idem, quod Divinae Revelationis necessitatem fateri nos cogit, ad Inspirationis in Revelatione Divina litteris consignanda necessitatem asserendam nos adigit. Quid enim nobis necessariam de-

(1) *Dialog. cum Triphon.* (2) *Lib. 4. divin. Inſtitut.*

depraedicat Divinam Revelationem? Equidem nostrummet rationis limitatio, infirmitas, nutatio, errantia, quibus summae Dei rationis detegendae ea est impar omnino. Unde inquit eleganter Lactantius (1) „ *Quod quia fieri non potuit, ut homini perse ipsum ratio Divina innotesceret, non est passus hominem Deus lumen sapientiae suae requirentem diutius aberrare, ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquando, notionem veritatis munus suum fecit, ut et humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, et erranti, ac vago viam consequendae veritatis ostenderet* „. At nonne Evangelitae pari modo impares fuissent ad eandem divinam rationem conscribendam? Etenim ita eam conscribere debuerunt, ut ejusdem essent idonei, et irrefragabiles testes; secus per Revelationem humani generis saluti consulens Deus medium non adhibuisset, quo firma, certaque omnino esset fides nostra; namque homo sibi relictus utcumque veracitatis characteribus instructus talem sua auctoritate parere nunquam potest certitudinem, ut ob recensitas imperfetiones omnis vel minimi erroris suspicionem a suis excludat dictis. Ob hanc utique caussam. Apo-

(1) *Ibid. lib. 1. cap. 1.*

vel non errasse autument (1). Etenim nisi Evangelistae peculiari Spiritus Sancti assistentia directi fuissent etiam in iis, quae viderant, et audierant, facile aut memoriae lapsu, aut alio humanae infirmatis defectu dormitassent, vel saltem dormitare potuissent; sicque eorum testimonium non foret irrefragabile, nostraque fides nutaret incerta: „ *Si in aliquo libro sacro*, inquit Augustinus (2), *vel minima falsitas reperiretur, totius libri certitudo periret* „, et paucis interjectis subdit „ *Ad hanc autem conſiderationem coget te pietas, qua cognoſcis fluctuare auctoritatem Scripturarum divinarum, ut in eis quod vult, quiſque credat, quod non vult, non credat, ſi ſemel fuerit perſuaſum aliqua illos Viros, per quos nobis haec miniſtrata ſunt, in Scripturis ſuis officioſe potuiſſe mentiri* „. Hinc de Evangelii praedicatione scribit Paullus [3] „ *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam, cum accepiſſetis a nobis verbum Dei, accepiſtis illud non*

(1) *Cornelius a Lapide Comment. in cap.* 3. *Epiſt.* 2. *ad Timoth. et Ricardus Simonius cap.* 23. *et* 24. *Hiſt. Crit. N.T. et in Respons ad le Cloerc. edit Roterodami* 1686. (2) *Epiſt. ad Hieronym.* 8. *vet. edit. et* 28. *edit. rec.* (3) *Epiſt.* 1. *ad Theſſal. cap.* 2. *v.* 13.

non ut verbum humanum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei „. Merito igitur celeberrimae Facultates Lovaniensis, et Duacensis inter caeteras propositiones, quas in suis censuris anno 1586. proscripserunt, vel sequentes damnarunt. Prima est „ *Non eſt neceſſarium, ut ſingulae veritates, et ſententiae ſint immediate a Spiritu Sancto ipſi Scriptori inſpiratae* „: secunda vero „ *Liber aliquis humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti scriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur, ibi nihil eſſe falsum, efficitur Scriptura sacra* „ (1).

V. *Quæ Evangeliſtæ scripserunt in Veteris Teſtamenti Prophetiis prænuntiata conspiciuntur.*

Rem hanc diserte prosecutus est noster Joannes de la Haye (2); disertissime vero Daniel Huetius (3); atque ea est adeo clara, et manifesta, instituta scilicet comparatione, ut nonnisi per summum nefas denegari possit. Quid enim in Evangeliis legitur, quod in Veteri Testamento prænuntiatum non sit? In illis perhibetur Jesus de semine Arahami, Isaaci, Jacobi, Judae, Jes-

(1) *Vide Antonium Arnaldum Part.* 3. *Difficult. propoſitar. Stejaerto*. (2) *Biblia Max. Tom.* 13. *Proleg. Nov. Teſtam. Cap.* 7.8.*et* 9. (3) *Demonſt. Evang. in Parallelis.*

Jesse, Davidis, et Salomonis (1)? Et Messias in isto oriundus ex semine Abrahami (2), Isaaci (3), Jacobi (4), Judae (5), Jesse (6), Davidis (7), atque Salomonis (8) praedicitur. In illis Jesus de Virgine (9) Bethlehemi (10) natus describitur? Et in isto Messias ex Virgine (11) Bethlehemi nasciturus (12) praedicatur. Quae de Jesu Praecursore habent Evangelistae (13), Vetus quoque Testamentum habet (24); quaeque illi de Jesu Divina praedicant Hypostasi (15), et istud item praedicat (16). Tum Veteres Prophetiae passim mirabilia Messiae opera [17], perfectaeque justitiae doctrinam (18) denuntiant, quae majorem

K Evan-

(1) *Matth. cap.* 1. Luc. *cap.* 3. [2] *Genes. cap.* 12. *v.* 3. (3) *Ibid cap.* 26. *v.* 4. [4] *Ibid. cap.* 28. *v.* 14. [5] *Ibid cap.* 49. *v.* 10. (6) *Isa cap.* 11. *v.* 1. *et seq.* (7) *Ierem. cap.* 23. *v.* 5. *e.* 6. *atque alibi.* (8) *Psalm.* 71. *v.* 1. *et* 6. [9] *Matth. cap.* 1. *v.* 18. *et seq.* Luc. *cap.* 1. *v.* 20. *et seq.* (10) *Matth. cap.* 2. *Luc. cap.* 2. *v.* 4. *et seq. Joan. cap.* 7. *v.* 49. (11) *Isa. cap.* 7. *v.* 14. *et alibi.* (12) *Mich. cap.* 5. *v.* 2. (13) *Matt. cap.* 1. *et* 11. *Marc. cap.* 1. Luc. *cap.* 1. *v.* 76. (14) *Isa. cap.* 40. *v.* 3. *et seq. Malach. cap.* 3. (15) *Matth. cap.* 17. *v.* 5. Marc. 1. *v.* 11. *Luc.* 3. *v.* 22. Joan. 1. *v.* 34. (16) *Psal.* 2. *v.* 7. *et Psal.* 88. *v.* 27. *et* 28. Isai. *cap.* 7. *v.* 14. *et cap.* 9. *v.* 6. (17) *Psal.* I. *v.* 4. *et alibi.* (18) *Psal.* 2. 21. *et* 39. *Isa.* 2. 30. 50. 52. 55. 61. *etc.*

Athenagoras (1) ajebat „ *Eorum, quae novimus, et credimus, habemus Prophetas teſtes* „ : tum „ *voces Prophetarum confirmant noſtras ratiocinationes* „ : Origenes (2) *Validiſſimam demonſtrationem* vocat argumentationem ex vaticiniis ductam: S. Cyprianus scribit (3) „*Praedictiones Prophetarum valere ad prima fidei rudimenta firmanda* „ : et S. Augustinus (4) „ *Quid eſt Chriſtus? dicit Paganus. Cui respondemus: quem praenuntiaverunt Prophetae* „. Falso igitur post Faustum (5) prætendit Grotius (6), in divinitatis, et inspirationis Doctrinae Christianae demonstratione per veteres Prophetias „ *non vim argumenti proprie adhiberi, sed ad illuſtrandam, atque confirmandam rem jam creditam* „. Unde S. Augustinus (7) „ *dicere*, inquit, *non eſſe aptam gentibus hebraeam Prophetiam, quum videamus omnes gentes per habraeam Prophetiam credere in Chriſtum, ridicula inſania eſt* „ : et infra ad rem nostram pressius subdit (8) „ *Sybilla, vel Sybillae, et Orphaeus, et neſcio quis Hermes, et ſi qui alii vates, vel Theologi, vel Philoſophi Gentium de Filio Dei, aut de Patre*

 Deo

(1) *In legat. pro Chriſtian.* (2) Lib 2. *cont. Celſ.* (3) *Lib. adv. Judae. in Praefat.* (4) *Tract.* 32. *in Joan.* (5) *Apud S. Auguſt. lib.* 12. *cap.* 2. *cont. Fauſt.* (6) *Apud Graveſon. de Scriptura sac part.* 1. 9. 3. (7) *Lib.* 13. *cont. Fauſt. cap.* 2. (8) *Ibid. cap.* 15.

Deo vera praedixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos idola, et Daemonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt. At illi ſacri Auctores noſtri eum populum, eam Rempublicam, tale regnum, imperante, et adjuvante Deo propugnarunt, atque rexerunt, ubi ſacrilegium eſſet, quod iſtis Religio fuit,

VII. *Nihil autem eſt in Evangeliis exaratum, quod a Divina inſpiratione alienum videatur.*

Plura congerunt Deistae, et praesertim Spinosa (1), quibus ostendant, quaedam in Evangeliis contineri, quae a Deo inspirante esse nullatenus potuerunt. Imprimis occurrit, inquiunt, Evangelistarum haesitatio in definiendis aut tempore, aut numero; sic Lucas (2) „ *Manſit autem*, inquit, *Maria cum illa quaſi menſibus tribus* „: sic etiam Joannes (3) „ *Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinqnaginta millia* „: et rursum (4) „ *Erat autem Paraſceve Paſchæ hora* qua-

(1) *Tract. Theolog Polit.* [2] *cap.* 1. *v.* 26. [3] *Cap.* 9. *v.* 10. [4] *Cap.* 19 *v.* 14.

quaſi sexta ,, . Secundo occurrunt memoriæ lapsus; sic Matthæus (1) scribit, dictum a Prophetis, quod *Nazaræus* vocandus esset Messias, quum tamen id apud Prophetarum neminem inveniatur; tum (2) verba Zachariæ (3) tribuit Jeremiæ: sic etiam Marcus (4) Malachiæ verba (5) adscribit Isaiæ, et (6) summum Sacerdotem, a quo David postulatum venit panes, Abiathar appellat, quem Achimelech fuisse scimus (7). Verum hæc, minime inspirata esse Evangelia, haud ostendunt. Quid enim? Utut in iis conscribendis Evangelistae Divino ducerentur Spiritu, nonne tamen potuerunt aut tempus, aut numerum earum rerum, de quibus sermonem habent, quandoque non definire? Quum enim communi, ac familiari sermone usitatum sit, formulas adhiberi plus, minusve temporis, aut numeri, de quo in narrando nihil certi constituitur, quumque Deus in Scriptoris reliquerit potestate id genus sermonis adhibendi; jam non est cur ob idispum inspirata Evangelia non esse dicantur. Memoria vèro lapsos fuisse Evangelistas nullo prorsus fundamen-

 to-

[1] *Cap.* 2. *v.* 23. (2) *Cap.* 27. *v.*9. [3] *Cap.* 11. *v.* 12, [4] *Cap.* 1. *v.* 2. [5] *Cap.* 3. *v.*2.[6] *Cap.* 2. *v.* 25. *et* 26. [7] *Lib.* 1. *Reg. cap.* 21. *v.* 1.

to contendunt Deistæ. Et quod Matthæum spectat, imprimis falsum est, nullibi in Prophetarum libris legi, Messiam Nazaræum vocatum iri; satis enim clare id insinuatur præsertim ab Isaia dicente (1) juxta Hebraicum exemplar „ *Et egredietur virga de radice Jeſſe, et Nazaræus de radice ejus ascendet* „. Deinde nonne multa apud Judæorum memoriam servabantur gesta, dictaque Prophetarum, quæ olim in quibusdam eorum libris nostra quidem, ac etiam Matthæi ætate amissis legebantur. Quid igitur obstat, quominus dicamus, Matthæum oraculum illud referre velut ex traditione acceptum, ut vel illa ejus Prophetarum indistincta citatio insinuare videtur? Quoad alterum vero, anne Librarii tantum errore Zachariæ nomen in illud Jeremiæ mutatum esse potuit (2)? Quid vero si eundem Matthæi textum in Jeremia quoque olim extitisse, atque Judæorum fraude fuisse deletum, dixerimus? Conjecturam quidem hanc verosimilem ostendit istorum in Christum, Christianosque furens bellum; firmat vero testimonium Auctoris vetusti illius opusculi a Calmet (3) memorati, qui textum illum in an-

(1) *Cap.* 11. *v.* 2. (2) *Vide Bynaeum lib.* 1. *de mort. Chriſt. cap.* 8. [3] *Comment. in hunc Matth. loc.*

antiquis quibusdam Codicibus Jeremiæ ita legisse scribit „ *Tunc dixit Jeremias ad Phesciur: jamdiu cum Patribus veſtris eſtis contrarii veritati: filii autem veſtri, qui venient poſt vos perpetrabunt peccatum magis enorme, quam vos; quia appretiabunt illum, qui non habet pretium, et pati facient eum qui sanat morbos, et dimittit peccata. Et accipient triginta argenteos pretium illius, quem emerunt filii Israel* „. Ad Marcum autem quod attinet, post verba illa „ *Ecce ego mitto &c.* hæc alia statim subnectit „ *vox clamantis in deserto &c.* „. porro illa apudMalachiam (1), apud Jsaiam ista (2) leguntur. Mercus utriusque referens prophetiam posterioris nomen utpote celebrius dumtaxat recitat. Quamquam ubi legitur inVulgata nostra „ *ſicut ſcriptum eſt in Isaia propheta* „ Græcus fert „ *in Prophetis* „: quo posito evanescit omnis difficultas. Verba tandem Christi a Marco relata nihil itemDivinæ inspirationi officiunt. Siquidem insolitum non fuit apud Hebræos, ut summo Sacerdoti secundus alter adderetur, qui fere æqualem illi auctoritatem haberet, ejusque vicibus fungeretur, ubi casu aliquo vel morbi, vel improvisi eventus, vel quavis alia ex causa a sacerdotali mune-

 re

[1] *cap.* 3. *v.*2. [2] *Cap.* 40. *v.* 3.

re agendo primus esset impeditus (1). Unde venerabilis Beda [2] ,, *Quod Dominus Abiathar Principem Sacerdotum pro Achimelech appellat , nihil habet diſſonantiæ ; ambo enim fuerunt illuc cum veniens David panes petiit ; et accepit . Occiſo autem Achimelech a Saulle fugiit Abiathar ad David , et comes factus eſt totius exilii ejus : David poſtea regnante summi Sacerdotii gradum accepit , ac toto tempore Regni ejus in Pontificatu perſeverans , multo majoris excellentiæ , quam pater , effectus eſt , ideoque dignus fuit , cujus memoriam Dominus etiam vivente patre quaſi ſummi faceret Sacerdotis* ,, .

VIII. *Nec taliter conſcripta ſunt Evangelia, ut Divinam dedeceant Inspirationem* .

Deistae (3) Evangelistarum scribendi rationem a Divina Inspiratione alienam volunt . Atque imprimis , ajunt , quum Deus homines alloquitur non solet argumentis, et ratiociniis uti , quemadmodum præstare solent homines , præstantque Evangelistæ . Tum quæ narrant iidem ordine , circunstantiis , aliisque adeo sunt diversa , ut ab eodem Dei Spiritu esse nequeant . Tandem tali inelegantia , atque obscuritate scribunt,

---

[1] *Numer. cap. 3. v. 4. et Reg. 2. cap. 26. v. 18.*
[2] *Apud. Cornelium a Lap. comment. inhunc loc.*
(3) *Spinosa Tract. Theol. Polit. Auctor Hist. crit. Evangel. et alii .*

bunt, ut nonnisi humano more scribere dici possint. His tamen nihil ineptius dici potuit. Siquidem negare Deistae nequeunt, Deum, et consequenter spiritus et verbi Dei administros, Prophetas, scilicet, et Apostolos, aptasse sese hominum imbecillitati. Quum igitur homines ratione duci ament, eaque regatur argumentis, inde factum est, ut ipsi Prophetæ, et Christus, non tantum Evangelistae, quandoque argumentis usi sunt, ut primo loco contendunt Deistae (1). Diversa autem scribendi ratio repetenda est tum ex vario Scriptorum ingenio, quum ex eodem Dei Spiritu. Ex vario, inquam, Scriptorum ingenio; arbitramur siquidem, Divinum Spiritum se cujusque Scriptoris ingenio adtemperare, ac propterea unicuique Evangelistarum permisisse, ut quem vellet in dicendo, ordinem, phrasim, stylum etc. prosequeretur, solumque cavisse, ne quis eorum inter scribendum aut errare, aut decipi inconsiderate ne verbo quidem valeret. Ex eodem vero Dei Spiritu, utpote qui, dum a pluribus Servatoris nostri vitae, mortisque, ac dictorum ejus historiam litteris consignari voluit, variam scribendi rationem hujusmodi et ad ampliorem fidei doctri-

(1) *Vide Olden de Analysi Fidei lib.* 1.

ctrinam, et ad certiorem doctrinae fidem obtinendam exegit. Denique quum divina eloquia non ad oblectandos concinnitate sermonis animos, ed ad erudiendos in salutis via homines quosque sint ordinata, speciali Dei instinctu factum esse, jure affirmamus, ut quae ad Servatoris vitae narrationem, doctrinamque spectant, sine fuco, planiorique sermone describerentur, quo fideles quique non sapientes modo, sed rudes etiam, et indocti salubriter instruerentur (1). Adeo tamen, inquiunt, obscure scribunt Evangelistae, ut neutri valeant erudiri. At nonne factorum quorumlibet narrationes, tum praecipua fidei dogmata omnibus absolute necessaria, tumque generalia recte vivendi praecepta, et monita, clara sunt, vel saltem cuique media congrua occurrunt, quibus eorum intelligentiam facillime assequatur, in Pastorum, scilicet, atque Doctorum magisterio? Noluit quippe Divinus Spiritus, omnes in Ecclesia Pastores esse, doctoresque, sed ex ovibus, et Pastoribus Dominicum compositum iri gregem disposuit. Alia quidem prostant in Evangeliis, quae sub obscuris similitudinum, aut enigmatum figuris

(1) *Vide Lactant. lib. 6, Divin. Inſtit. cap.* 20.

ris proponuntur ; hæc autem nec sunt omnibus præcepta , nec necessaria ; et licet eadem Divinus Spiritus clariori modo proponere potuerit, noluit tamen , ne forte apud quosdam hac de causa Dei eloquium vilesceret , minori in pretio cœlestis Doctrina , quam humana quævis scientia, haberetur, et ut fideles discendi studio excitarentur , ac Deum , resque Divinas multo esse humana mente superiores intelligerent .

IX. *Quare Evangelia ut Divinitus inspirata summa veneratione , et consensione catholica Ecclesia vel ab initio recepit* .

Ex iis, quæ diximus Cap . III. propos. 2. , et Cap. IV. propos. 14. , tum quæ ejusdem Cap. IV. prop. 15. subneximus , hujus rei veritas manifestissime patet . Hinc Papias Joannis Apostoli discipulus *Divina Oracula* (1) , Clemens Romanus *Cœleſtem Doctrinam* (2) , *Dei sermonem* Origenes (3) , ac *Litteras authenticas* Tertullianus (4) vocant Evangelia ; eaque Divino afflante Spiritu conscripta affirmant Justinus (5) , Melito Sardensis (6) , Irenæus (7) , Clemens Alexandrinus (8) , Epiphanius (9), cæterique om-

(1) *Apud Euseb.* *Hiſt. lib.* 3. *cap.* 39. (2) *Apud Eund. ibid. lib.* 2. *cap.* 14. (3) *Proem. in Luc. et hiſt. lib.* 6. *cap.* 25. (4) *De Praescript. cap.* 36. (5) *Apolog.* 2. (6) *Epiſt. ad Onesim.* (7) *Lib.* 3. *cap.* 1. (8) *In exhortat. ad Gentil.* (9) *Haeres.* 51.

omnes Ecclesiastici Scriptores. Imo sacra Evangelia inter canonicas Scripturas Novi Testamenti, quum primum earundem Canonem confecit, Ecclesiam reposuisse, et constanter retinuisse ex Conciliorum historia certissime constat (1).

X. *Nunquam igitur in Ecclesia dubia fuit sacrorum Evangeliorum Divina Inspiratio.*

Licet id ex præcedenti propos. certum omnino sit; nihilominus unius incerti Scriptoris (2) VI. vel VII. sæculi auctoritate fultus recens quidam (3) asserere non dubitavit, usque ad Nicænum Concilium Ecclesiam in Evangeliorum delectu, et approbatione fuisse ancipitem, hujusque rei declarationem ex prodigio expectandam fore ibi statuisse. Fabulis tamen est accensenda hæc enarratio; namque jam dictis accedit, vel ante Laodicænum Concilium antiqua nobilitate celeberrimum circa annum 319. celebratum, Sacrarum Scripturarum Canonem ab Ecclesia confectum fuisse, in eoque quatuor Evangelia inter novi Testamenti libros primo loco reposita. Præfatum siquidem Concilium id supponit, decernens

(1) *Vide Concioliorum Collectores Labbeum et alios; tum Millium inProleg. ad N. T. et Ricardum Simon. Hiſt crit. du texte du N.T.*(2)*Libell. Synodic* (3)*Storia antica di* G. *Cristo sia analiſi dei Vangeli*

nens (1)„ *Non oportet ab idiotis pſalmos compoſitos, et vulgares in Eccleſiis dici, neque libros, qui sunt extra canonem legere, niſi ſolos canonicos novi, et veteris Teſtamenti* „, Deinde Canonem hujusmodi exhibens ait (2)„ *Novi autem Teſtamenti Evangelia quatuor, secundum Matthaeum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem &c.* „.

CAPUT VIII.

De Variis Evangeliorum Verſionibus.

I. *Graeca Evangelii S. Matthaei versio Apostolis coaeva est, eaque brevi archetypi locum usurpavit.*

Quidam (3) S. Jacobo Jerosolymæ Episcopo, alii (4) Joanni Evangelistæ, alii (5) SS. Lucæ, et Paullo, alii (6) aliis Apostolis, vel Apostolicis viris, Versionem hanc tribuendam esse tradunt. Licet vero in tanta opinionum varietate ejus Auctor definiri certo non possit, eam nihilominus

(1) *Canon.* 59. *apud* Labb. *Tom.* 1. (2) *Canon.* 60. (3) *Athanaſius in addit. ad Synops.* (4) *Theopilactus Praefat. in Matth.* (5) *Anaſtaſius Synaita serm.* 7. *in Gen.* (6) Papias *apud Euseb. Hiſt. Eccles. lib.* 3. *cap.* 39.

nus ad Apostolorum tempora pertinere certo certius inde colligitur. Id confirmare videtur hujus Evangelii inventio super S. Barnabae pectus facta in Insula Cypri anno 488. (1); siquidem quamvis qua lingua illud conscriptum fuerit, traditum non sit; a Baronio tamen, qui (2) hebraice exaratum dicit, dissentimus, atque cum Calmet (3) graece fuisse scriptum arbitramur, utpote quod Costantinopoli diu servatum singulis annis feria quinta Majoris Hobdomadae ibidem legi consueverit (4). Quod vero brevi archetypi locum abtinuerit infertur ex quo Latina ex ea Versione fuerit expressa (5), et juxta eandem a S. Hieronymo jussu S. Damasi Papae emendata (6).

II. *Syriaca Evangeliorum versio ex Græco expressa fuit, atque ad Apostolorum tempora pertinere probabiliter dici potest.*

Maxima illa affinitas, quae inter Vulgatam nostram Evangeliorum Versionem, et Syriacam est, Millio (7) suspicionem movit, utrum haec ad illam recensita fuerit,

(1) *Vide Theodorum* Lect. *lib.* 2. *pag.* 557. *edit. Vales. et Surium in Vita S. Matth.* 11. *Junii.* (2) *Ad ann.* 41. (3) *Proleg. in Matth.* (4) *Vide superius cit* (5) *Vide Bellarminum lib. de Scriptor. Eccles. in Matth. et Franciscum* Lucam *in Marc.* (6). Hieronymus *in Praefat. ad Evangel.* (7) *Proleg.* 1249. *et seqq.*

rit, sed re maturius perpensa suam conjeturam inanem deprehendit. Alii (1) in ea fuerunt sententia, Archetypum S. Matthaei apud Syros mansisse. „ *Verum ut persuadeamur*, inquit Calmet (2), *Syriacam S. Matthaei Verſionem e Graeco fuiſſe expreſſam, satis eſt, ut utrumque ſimul exemplar conferamus. Regnat in Syriaco exemplari Graecus locutionum ſonus, errata plurima deprehenduntur, quae nonnisi ex Graeco ſubrepserunt; et sane expreſſam eam Verſionem conſtat e Graeco exemplari vetuſtiſſimo, unciali charactere, antequam accentuum uſus ſuper vocales litteras obtineret; ejusdemque Græci Codicis voces inter se non satis diſtinctas fuisse oportet; ſunt enim plura in Syriaco menda, quae nonnisi ex varia legendi accentus, et puncta adscribendi, ac tandem diſtinguendi voces Graecas ratione, referenda videntur*„ (3). Hanc autem VersionemS. Thaddaeo (4), vel S. Marco (5) Syri adscribunt; unde ad Apostolorum tempora eam referri posse conjicimus, quam vetustissimam nemo unus negat.

III. *Plures olim fuerunt Evangeliorum latinae Veriones, una tamen inter tot Itala dicta*

(1) *Vidmanſtadius, et Guido* Fabricius. (2) *Proleg. ad N. T.* (3) *Vide Millium Proleg.* 1237. *et seqq.* (4) *Calmet. loc. cit.* (5) *Guido* Fabric. *Boderian. in praefat. Tom.* 5. *Polyglott. Antuerp.*

cta , *atque Vulgata* , *praestantiſſima erat* , *et in omnibus latinis Ecclesiis recepta* .

Petrus Sabatierus (1) ejusdem Versionis plura quidem fuisse variantia exemplaria, non autem plures revera Versiones contendit. Verum hanc falsam esse opinionem, ostendit Hieronymus inquiens (2) „ *quae a vitiosis Interpretibus male edita sunt* „: tum Augustinus scribens (3) „ *Latinorum Interpretum infinitam esse varietatem* . . . *Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus et aliquantulum facultatis ſibi utriuſqne linguae haberi videbatur*, *auſus eſt interpretari* „ haec enim nonnisi de Versionum multitndine intelligi possunt (4). Inter tot porro Versiones una praestantissima caeteris fuit, iisque praeferenda „ *nam* „ inquiebat Augustinus (5), *eſt verborum tenacior cum per ſpicuitateſententiae*„; eamque *Italam* Augustinus (1), *Comunem* Hieronymus (6), *Veterem* S. Gregorius,

(1) *Praefat. ad* Italic. *Veter. part*. 1. §. 2. (2) *Praefat. in quatuor Evang. ad Domas*. (3) *Lib*. 2. *de Doctr. Chriſt. cap*. 11. (4) *Vide Iospbam Blanchinum in prafat. gener. ad vet. Sac. Bib. frag. et Fraſſen Disq. Bibl. lib*. 3. *cap*. 1. §. 1. *not*. 1. (5) Lib. 2. *de* Doct. *Chris. cap*. 15. (6) *Ibid*. (7) *Ep. ad Pamacb*.

rius (1), *Vulgatam* Orosius(2(; quo utique nomine postremo jam apud omnes Christi Fideles innotescit . Etherodoxorum plerique (3) , *Italam* Versionem aliquando extitisse caeteris aliis praecellentem, et singulari obsequio receptam , inficiantur . Horum argumenta refellit Sabatierus (4) , iisque opponit auctoritatem S. Augustini praesertim docentis (5) „ *In ipsis autem interpretationibus Itala caeteris praeferatur* „ . Certum est, eam *Vulgatae* nomen obtinuisse , quod ab omnibus in usum publicum admitteretur .

IV. *Haec Itala , seu Vulgata Evangeliorum Latina Verſio caeteris antiquior censanda eſt , atque ad Apoſtolica tempora referenda* ,

De *Vulgatae* Versionis antiquitate non parum detrahere visus est Millius , qui (6) „ *Ipsam hanc Italam* , ait , *cum apud Latinos , et auspiciis , ut omnino credibile eſt , Eccleſiae Romanae prodierit , vix certe eſt , ut editam censeamus ante tempora Pii Papae . Erat quidem is cum Italus gente , & Latinorum primus . . . , qui diutius paulo , per annos dico quindecim Eccleſiae res adminiſtraret* ,

 ne-

(1) *Praeſat. in lib. moral.* (2) *Apolog. de liber. arb. cap.5.* (3) *Blenteyus, Balenteyus, aliiq.* (4) *Praefat. ad edit. Vulg. antiq. versN. T.* (5) *Lib. 2. de Doct. Chris. cap.* 15. (6) *In praefat. ad N. T.*

neque abſimile veri eſt ab ipſo demum procuratam fuiſſe hunc verſionem etc.,,. Verum Pium Papam primum ex Latinis Petri Cathedram ascendisse, nec diutius quam alios praecedentes Latinae gentis Pontifices eam occupasse, certum est. Sane post S. Petrum Linus Etruscus, qui ejusdem Petri per aliquot annos Vicarius extitit, in Pontificatu successit, illumque per annos undecim retinuit. Linum Cletus Romanus excepit, sanctamque Petri sedem per annos circiter duodecim occupavit; cui postea Clemens item Romanus successit, et per annos novem Pontificatu est functus. Deinde Græco Anacleto, et Evaristo Syro suffetus est Alexander Romanus, qui annis decem rexit Ecclesiam; atque hunc subsecutus est Sixtus Romanus, qui per annos decem Pontificatum tenuit. Tandem post Grecos Telesphorum, et Hyginum Pius electus est, annisque tantum undecim regnavit (1), Quis modo sibi suadeat, absque Divinorum Evangeliorum versione Latinam Ecclesiam tamdiu persistere voluisse, ut Millius opinatur? Accuratiorem propterea extimamus, atque firmiorem con-

(1) *Vide. Deſiderium Nardi Nuovo Comp. end. Stor. delle Vite de' Rom. Pont. Tom. 1.*

conjecturam Waltoni ſcribentis (1), „ *Hanc vero cum vulgatae, et veteris nomen his temporibus nacta ſit, reliquis Latinis antiquoirem eſſe neceſſe eſt. Cumque Latina Eccleſia ſine verſione Latina nunquam fuerit, veriſimile eſt, hanc primam ex Graeco factam Apoſtolorum temporibus, vel non multo poſt, ne dicam cum Baronio, Bonfrerio, Serario et aliis ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo factam, et ab ipſis primis Eccleſiae fundatoribus viſam et approbatam* „. Id unum ergo nobis quammaxime vero proximum ſupereſſe videtur, *Italam* nempe verſionem ad Apoſtolicos Eccleſiae Paſtores, qui ſcilicet Apoſtolos audierunt, eſſe referendam, nec inconcinnitatem ejus temporis latino eloquio non reſpondentem quis nobis objiciat, ut recentiorem aetatem hujus verſionis evicat; imprimis namque, impoſſibibile dicimus, latinam perſequi elegantiam in diverſi idiomatis librorum verſione, ſi ad litteram tranſlatio elaboretur; dicimus ſecundo, a Sacris Interpretibus, non humanae ſapientiae, et eloquii pompam, ſed veritatem ſententiarum, atque verborum, ne ſuae interpretationis fides in diſcrimen revocaretur, fuiſſe ſervatam (2). L 2 V.

(1) *Proleg.* 5. *num.* 5. [2] *Vide Auguſtinum Calmet Diſſert. in Vulg.*

V. *Vulgata Litina Evangeliorum Verſio*, *qua nunc utitur Latina Eccleſia*, *eſt illa eadem vetus Italica ab Hieronymo tamen emendata*.

Id enim significat ipsemet Hieronymus inquiens (1),, *Novum Teſtamentum Græcæ reddidi auctoritati*,, : et iterum (2),, *Vetus Teſtamentum juxta Hebraicum transtuli*, *Novum Græcae fidei reddidi*,, .Hoc autem præstitit jussu Damasi Papae ; sic enim ad eum scribit (1) ,, *Novum opus me cogis facere ex veteri* , *ut poſt exemplaria Scripturarum toto Orbe disperſa* , *quaſi quidam arbiter sedeam* ; *et quia inter se variant* , *quæ ſunt illa* , *quae cum graeca conſentiant Veritate decernam*. *Pius labor*, *sed periculosa præsumptio judicare* , *caeteris ipsum ab omnibus judicandum* ,, et paullo post subdit,, *Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur tantum quatuor Evangelia quorum ordo eſt iſte* , *Matthaeus* , *Marcus* , *Lucas* , *Joannes* , *Codicum Grecorum emendata collatione*, *ſed veterum quæ ne multum a Lectionis Latinae conſuetudine diſcreparent*, *ita calamum temperavimus* , *ut his tantum* , *quæ ſenſum videbantur mutare* , *correctis* , *reliqua manere pateremur* , *ut fuerant* ,, . In quibus autem *Italica* Versio a Hieronymo fuerit emendata discerni potest tum ex MS. Corbejense quatuor Evan-

van-

[1] *Epiſt. ad Licinium* 53. *alias* 28. [2] *Lib. de hiſt. Eccles.* [3] *Praefat in Evang.*

vangeliorum, tum praecipue ex Monachorum Benedictinorum celeberrima editione Parisiis anno 1751. confecta (1).

VI. *Hodierna Evangeliorum Latina Verſio Vulgata authentica eſt.*

Scilicet adeo Textui originario ea conformis est, ut ulla absque haesitatione eidem fides adhibenda sit, ac si foret Textus ipse primigenius; sic enim affirmant omnes Catholici una cum Tridentino Concilio. Istud namque haec habet (2) „ *Sacrosanta Synodus, conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis Editionibus, quae circumferuntur, Sacrorum Bibliorum, quaenam pro authentica habenda ſit, innotescat: ſtatuit, et declarat, ut haec ipsa Vetus et Vulgata Editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Eccleſia probata eſt, in publicis Lectionibus, disputationibus, praedicationibs, et expositionibus pro authentica habeatur: et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat* „. Inquibus verbis adseritur imprimis utilitas delectus unius Latinæ editionis cognita, atque adserta vel ab ipsis Hetorodoxis, Kemnitio (3) præsertim, Theodoro Beza (4), et Grotio (5). Secundo hujus de-

[1] *Part.* 3. [2] *Seſſ* 4. *cap.* 2. [3] *In exam. Concil. Trid. par.* 1. [4] *Praefat. in* N. T. (5) *In diſcuſſ. Rivetian. Apologet.*

delectus rectitudo quoad Vulgatam Editionem manifestatur ex longo tot sæculorum usu, quo in Ecclesia probata est; quam quidem rectitudinem ex eodem fonte derivant vel ipsi Protestantes, de quorum grege Grotius ait (1) „ *Tutiſſima omnium iis, qui nec Hebraice, nec Græce didicere, eſt Vulgata Verſio quæ nullum habet malum dogma, ſicut tot seculorum, et Gentium consensus judicavit* „: tum (2) „ *Standum quidem Scripturae eſt, sed curandum, ne ejus interpretatio pugnet cum sententiis per omnes Eccleſias antiquitus receptis* „. Tertio denique fertur decretum constans duplici parte, quarum una, affirmante scilicet, jubetur, Vulgatam nostram pro authentica haberi in publicis lectionibus etc.; altera vero negante eam rejici quovis prætextu prohibetur. Hoc autem decreto Ecclesia haud quidem Dei Verbum adprobat, ut falso prætendunt Hæretici (3), sed dumtaxat Verbi Dei infallibile nobis testimonium reddit, quam Spiritus Sancti peculiari adsistentia donatam (4), atque columnam, et firmamentum veritatis esse [5], optime scimus.

VII.

---

[1] *In Voto pro pace Eccles. pag.* 674. [2] *In diſcuſſ.* Rivet. *Apol.* [3] *Calvinus in Antidoto Seſſ.* 4. *Trident. cum aliis.* (4) *Joann.* 14. *v.* 16 *et* 26. (5) *Ad Timoth.* 1. *cap.* 3. *v.* 15.

VII. *Arabica Evangeliorum Verſio e Græco expreſſa videtur ; quo autem* Auctore , *quove tempore , non satis conſtat .*

E Syriaco expressam Arabicam Evangeliorum versionem defendit Simonius [1]. Verum Millius [2], qui Syriacum , et Arabicum cum Græca sedulo contulit , Arabicum ex aliis deducendum fontibus , quam e Syriaco egregie demonstrat ex duorumillorum exemplarium frequenti discrepantia præsertim in lectione propriorum nominum locorum , Urbium , et Provinciarum . Badvellus [3] Waltonus [4], atque Erpenius [5] eam Versionem e Graeco factam volunt , quod quum etiam viri alii Eruditi suffragio suo confirment , et nobis probabilius videtur . Licet autem Erpenius ipse persuasum habeat (6), hujus Translationis auctorem fuisse Nesjulamanum quemdam filium Azalkefat ; nihilominus sicuti tempus , ita , et auctorem illius ignotum cum aliis fere omnibus fateatur est opus .

VIII. *Æthiopica Evangeliorum verſio vetuſtiſſima eſt , atque ab incerto Auctore ex Graeco item confecta .*

(1) *Hiſt. Crit. N. T. cap.* 18. (2) *Proleg* 1295. (3) *In Epiſt.* 1. *Joan. ad calc.* (4) *Proleg. cap.* 14. *num.* 23. (5) *Praefat. in N. T. Arab. Leid. edit* 1616. (6) *loc. cit.*

Renaudotio (1) remota Versionis Æthiopicae haec vetustas non persuadetur; asseritur tamen communiter ab Eruditis [2]; eaque infertur ex idiomate, quo est exarata, quodque non hodiernum vernaculum, sed vetustius alterum est, hodie quidem abolitum, sed olim ante desertam ab Æthiopibus urbem Auxumam vulgare [3]. Utut vero aliqui eandem Translationem tribuant Frumentii Monachis, quin et ipsi Frumentio [4], res tamen adhuc in dubiis est. Ast eam Versionem e Graeco expressam fuisse, negari non potest; observatum siquidem est, plurimum congruere cum vetustissimo Ms. Codice Alexandrino nostra aetate in Anglia servato [5].

IX. *Verſio Cophtica, seu Ægyptiaca Evangeliornm et ipsa antiquiſſima eſt, et Monachorum opera ex Graeco veroſimiliter adornata.*

D. Pik [6] Cophticam Versionem nonnisi a Saeculo VIII. vel prius aliquanto revocat; immerito tamen cum ea tempora praeces-

---

(1) *In addend. ad* Bibliot. *Sacr. P. long. pag.* 666. (2) *Vide* Ludolf. *hiſt. Aethiop. lib.* 3. *cap.*4. *et Epi' .ad Hotting. et* Hottinger. *diſſer.* 4. *de transl. Bibl. in ling. vern.* (3) *Idem* Ludolf. *hiſt. Æthiop. lib.* 1. *cap.* 15. (4) *Idem ibid. lib.* 3. *cap.* 4. (5) *Calmet. Proleg. in N. T.* (6) *Epiſt. ad V. Cl. Mill. Proleg. ad N. T.*

ceſſerit S. Joannis Chryſoſtomi aſſerentis [1], Ægyptios habere libros ſacros proprio idiomate deſcriptos. Alii volunt, hanc Verſionem S. Antonii ætate elaboratam (2). Verum probabilior videtur Simonii (3), et Kircherii (4) ſententia, auctoritate vetuſti Cophtici Martyrologii comprobata, coepiſſe nimirum eam Verſionem circa dimidium Saeculi IV. Monachorum opera, qui ſicuti alios Sacros libros ex Hebræo, et Chaldæo, ita Evangelia ex Græco transferre curarunt.

X. *Licet quæ nunc extant Perſicæ Evangeliorum Verſiones recentiores ſint, credibile tamen eſt, etiam antiquiores Perſas Evangelia proprio idiomate conſcripta habuiſſe.*

Duæ circumferuntur Perſicæ Verſiones: recentior auctorem habet Abrahamum Vecloch, atque e Græco expreſſa eſt; vetuſtior deſcripta fuerat ex Syriaco anno 1341. (5). Quamvis haec ſit fidelior illa recentiore, interdum tamen a Textu recedit, et graviſſimos continet errores, et la-

(1) *Homil.* 1. *in Joan.* (2) *Vide Jacob. le Long. Bibl. ſacr. tom.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 9. (3) *Disquiſ. crit. de variis Bibl. edit. cap.* 21. (4) *Prodrom. Copht. cap.* 8. (5) *Vide Waltonum. Tom.* 5. *Polyglott.*

lapsus ut observant Eruditi (1). Verum quum constet, ante Concilium Nicænum, cui Episcopum quemdam Persam interfuisse scribit Eusebius (2), plurimos in Perside Christianos extitisse (3), quis credat, sacros Evangeliorum Codices propria lingua eos non habuisse?

XI. *Armena Evangeliorum Versio e Graeco est repetenda, quo tamen Auctore et tempore, incertum.*

E Graeco expressam esse hanc Versionem intelligit, quicumque Græcum cum ea Antuerpiae anno 1666., tum alibi excusa cònferat. Nonnulli eandem S. Joanni Chrysostomo (4); alii Moysi Grammatico, et Davidi philosopho (5); Eznar, et Josepho B. Mesropæ Discipulis alii (6) tribuunt. Sed singulas hasce opiniones ejusdem fidei, et auctoritatis arbitratur Calmet (7).

XII. *Gothicam Evangeliorum Versionem circa annum 360. e Graeco diligentissime Ulphilas confecit.* Id

(1) P. *Angelus a S. Josepho apud Fraſſen disq. Bibl. Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. (2) Lib. 3. *de Vita Conſtant. cap.* 8. (3) *Sozomen. lib.* 2. *cap.* 8. Hierony. *in Chron. Toeodoret.*, *et alii.* (4) *Gregorius Alexand. et Sixtus Senen. lib.* 6. (5) *Apud Simonium hiſt. crit. V. T. lib.* 2. *cap.* 16. (6) *Apud P. le Long. Bibl. Sacr. cap.* 2. *sect.* 8. (7) *Proleg. in lib. N. T.*

Id aperte tradunt Socrates, Sozomenus, et Philostorgius (1). Quamquam vero Ulphilas Arianam sectam profiteretur, tamen sive opus adornaverit antequam a fide descisceret, sive metu ne doli mali convinceretur, illud plane constat, summam diligentiam illum adhibuisse, ut probatissimi Graeci Codicis sinceritati sua sinceritate responderet, quemadmodum observat Augustinus Calmet (2).

XIII. *Recentiores Latinae Evangeliorum versiones & parum utilitatis afferunt, et nonnisi dubiam fidem ſibimerentur.*

Ante Sæculum XVI. præter Latinam Vulgatam, de qua superius, ceteris antiquoribus jam obliteratis, nulla alia innotuit Latina versio. At eo sæculo jam exorto plures tum a Catholicis, tum ab Hæreticis confectæ emersere Translationes. Harum vero singulæ ab authentica Vulgata sæpissime deviant, ejusque mutationes, et detractiones etiam continent, ut legentibus notum est (3). At „ *hujusmodi vel mutationes, vel detractiones, vel additiones*, admonet Canus (4), *quae curiosos homines sæpe delectant, paren-it-*

[1] *Apud Millium Proleg.* 1396. *et praefat. in N. T. Goth.* (2) *loc. cit.* [3] *Vide Frassen. Disq. Bibl. lib.* 3. *cap.* 10. [4] *De locis. Theol. lib.* 2. *cap.* 13.

tibus noſtris, ſi nunc viverent, futuras eſſe moleſtiſſimas. Id quod ex primo libro hiſtoriæ, quam vocant Tripartitam, colligere licet. Cum enim (ut ibi dicitur) multi Episcopi convenisſent, et quidam eorum rogatus eſſet, ut faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio et Sapientia praeditus, ille locus venit in medium: Tolle Lectum tuum, et ambula: ubi pro lecto Cubile dixit. Tunc Spyridion Cypriorum Epiſcopus vir sanctiſſimus indignatus in eum, et exiliens de cathedra Sacerdotali: Tu melior es (iniquit) eo, qui Lectum dixit, quia ejus verbis uti confunderis? Hoc enim fecit populo conspiciente, mediocritatem docens eum, qui eloquii supercilio prætumebat ... Quid hic faceret, ſi Iſidori Clarii, quid ſi Eraſmi, quid ſi Cajetani, quid ſi reliquorum tam varias, & multas verſiones & inverſiones audiret? Quo putas animo ferret .... Cajetani lectionem & textum uſque adeo a noſtro diſcrepantem, ut vix poſſis agnoſcere, an idem liber sacer, an alius ſit?,, Hæreticorum præsertim versiones maximam semper suspicionem ingerant necesse est; Etenim Zuinglius (1) a Luthero adulteratum Verbum Dei asserit, eumque manifestum, et communem Scripturarum corruptorem, et perversorem appellat. Lutherus ab op-

---

(1) *Tom. 2. ad Luth. lib. de Sacram.*

opposito (1) Zuinglianam explodit versionem. Beza(2) vocat Œlcolampadii, et Basileensium versionem impiam in multis locis eta mente Spiritus Sancti prorsus alienam. Versionem autem Castalionis sacrilegam, impiam, ethnicam nominat (3). Castalio vicissim (4), innumeros esse in Bezæ versione errores, contendit. Nimius essem in omnium referendis Hæreticorum mutuis criminationibus circa Evangeliorum versiones, quorum quilibet magister incedit, nimiumque abundat in sensu suo. Nulla propterea versio apud ipsos tuta, sed undequaque oriuntur ambages, animorumque fluctuationes, quibus non parum jactatus Lutherus, in haec tandem compulsus est prorumpere verba(5) „ *Omnino melius eſſet, omiſſo ſtudio Hebraicæ linguæ, ſimpliciter retinere illam hactenus receptam, & uſitatam verſionem Bibliorum, quam tot novas verſiones æmulari, quibus nihil proficitur, niſi quod ſimilitudo, et diſcrepantia lectionum legentium memoriam turbat, & ſtudium remoratur, ac in multis incertiorem, quam fuerat, dimiſerit* „. Hinc patet quam me-

[1] *Tom. 3. lat Witemb. comment.* [2] *In Respons. ad defens. Caſtal.* [3] *Ibid.* [4] *In defens. transl. suar. part.* 18. [5] *Praefat. Tom. 3. lat. Witemb. Comment.*

merito pronunciarit Augustinus (1) „ *Ego Evangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoveret auctoritas*„.

EPILOGUS

Heic *tabulas solvimus*; quæ enim nobis agenda proposueramus, cumulate satis, si quid cernimus, jam explevisse videmur. Sacrorum siquidem Evangeliorum existentiæ, et nominis ideis veluti in antecessum evolutis, eadem subinde ab apocryphis distinximus, eorumque quaternarium numerum statuimus; mutuamque consonantiam vindicavimus; tum illa iis temporibus, ab iisque Auctoribus, quibus tribuuntur, indicatis singulorum idiomate, et scopo, revera fuisse scripta probavimus: tum postea in omnibus vera esse, integra, divina, pro viribus ostendimus; tum denique de quibusdam illorum Versionibus, ac præcipue de Latinæ Vulgatæ auctoritate nonnulla delibavimus; nec propriis in locis eadem sacrosancta Evangelia a præcipuis impiorum calumniis vindicare omisimus. Faxit vero Deus, misericordiæ Pater, ut aberrantium corda Incredu-

(1) *Lib. cont. Epiſt. fundam cap* 5.

dulorum rore divinae dulcedinis emollian-tur intimitus, et collustrentur, ut erro-re cognito, et ejurato, in admirabile lu-men suum, in quod vocati sunt, recta se conferant. Etenim non inanis gloriæ cu-pidi, sed Sanctissimæ primum Christianæ Catholicæ Religionis firmitudini, tum Spi-ritali eorundem Incredulorum saluti con-sulentes prædurum hunc suscepimus la-borem.

FINIS.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo P. Mag. S. P. A.

F. Xav. Paſſari Vicesgerens Archiep. Lariſſæ.

IMPRIMATUR.

F. Dom. Bacci O.P. Rmi P.M. S.P.A. Soc.

G 2001390